[illegible] Patri Beckx Praeposito Generali Societatis
[illegible] obsequium [illegible]
[illegible] 1871 offert Auctor

QUID PAPA

ET

QUID EST EPISCOPATUS

EX AETERNA AC DIVINA RATIONE

NECNON

QUAE EORUM PARTES IN ECCLESIAE INFALLIBILI MAGISTERIO

EXPLANANDUM CURABAT

PETRUS SEMENENKO

EX CONGR. A RESURRECTIONE D. N. JESU CHRISTI S. TH. D.
SACRAE CONGREGATIONIS INDICIS CONSULTOR
PONT. COLLEGII POLONI IN URBE RECTOR.

ROMAE
TYPIS S. C. DE PROPAGANDA FIDE
SOCIO EQ. PETRO MARIETTI ADM.

PARISIIS
APUD VICTOREM PALMÉ
VIA GRENELLE S. GERM. 25.

1870.

QUID PAPA

ET

QUID EST EPISCOPATUS

EX AETERNA AC DIVINA RATIONE

NECNON

QUAE EORUM PARTES IN ECCLESIAE

INFALLIBILI MAGISTERIO

EXPLANANDUM CURABAT

PETRUS SEMENENKO

EX CONGR. A RESURRECTIONE D. N. JESU CHRISTI S. TH. D.
SACRAE CONGREGATIONIS INDICIS CONSULTOR
PONT. COLLEGII POLONI IN URBE RECTOR.

ROMAE
TYPIS S. C. DE PROPAGANDA FIDE
SOCIO EQ. PETRO MARIETTI ADM.

PARISIIS
APUD VICTOREM PALMÉ
VIA GRENELLE S. GERM. 25.

1870.

5. 9. 60

PROOEMIUM

Divina sic disponente Providentia, duas gravissimas quaestiones, utque verius dicam, duo dogmata, alterum de Immaculata Virginis Conceptione, alterum vero de Papae Infallibilitate (quae nunquam in Ecclesia vera fide non tenebantur), publica confessione proclamanda ad haec ultima tempora, non certe sine causa, reservata vidimus. Nos in tali eventu mysterium consiliorum Dei suspicientes, debemus nostrum servare officium; et sicut optime egimus, si illud prius de Virgine dogma et initio votis antevertere curabamus, et postea fide firmiter sumus amplexi; ita et nunc, omnes officii nostri partes tum demum explebimus, si non solum parati erimus jam definitum alterum dogma tardiori fide suscipere; verum si etiam in id incumbemus, ut fides nostra opportune definitionem ipsam praeveniat, provocet, et ut fiat efficiat.

Id vero eo vel magis hac in re procurandum est, quod contra hoc alterum dogma majores exortae sint recriminationes. Factum est namque, sic etiam sapienter disponente Providentia Divina, ut non tam exiguus numerus Pastorum Ecclesiae, vel omnino

contra opportunitatem definiendi, vel etiam contra veritatem hujus doctrinae de Papae infallibilitate vehementius reclamaverint. Non sine causa, inquam, admissum est a Deo id genus facti: nam nisi hujusmodi contradictio palam prodiisset, forsitan ex alia parte non tam ingens et tam concors prorupisset fidei vulgatissimae significatio; et veritas ipsa, tametsi acclamata fuisset, tamen non in eadem luce in qua nunc, neque eadem evidentia splenderet.

Jam porro, in hac rerum conditione, id in primis agendum intelligitur: ut ceteris forensibus de eodem argumento neglectis, istae a domesticis commotae lites curiosius expediantur. In istis enim cardo totius vertitur causae, et si quidem proximae istae objectiones diluentur, jam facile reliquae omnes suapte sponte corruent et evanescent.

Quare id nobis operae pretium ducimus: ut illas expendamus rationes contrarias, quae sive a gallicanae doctrinae patronis, sive ab iis objiciuntur qui vel citra gallicanam, similem tamen tuentur sententiam. Similes namque procul dubio sunt omnes, quae aliquam infallibilitatem Papae concedunt, integram tamen concedere nolunt. Una simul itaque omnes aggredi oportet, atque magis magisque eas, quae sunt veritati proximiores, ut his convictis, quae minus minusque denegant, eo vel clarius demonstretur non posse denegari ne minimum quidem.

Rem, Deo adjuvante, expediemus brevissimis rationum expositionibus, hoc ceteroqui servato ordine: ut primum negative, ut ajunt, et polemice disputemus, ostendentes nullum dari locum ubi sen-

tentia denegans consistere possit; tum vero positive causam tractemus, theoriam statuentes, quae intimam naturam rei declaret; ad postremum tandem, si Deus permiserit, historice etiam rem omnem confirmandam curemus; atque sic omnibus modis ad eam deveniamus conclusionem, cujus ope rite solvatur causa a nobis ipsi titulo inscripta: Quis locus Papae, quis autem Episcopatus in Ecclesia, et quae eorum partes in Ecclesiae infallibili Magisterio?

Addidimus porro consilium nobis esse ex aeterna ac divina ratione causam aestimare. Haec ratio non est alia nisi Deus ipse; est, inquam, substantia Ejus divina, ejusque ratio subsistendi, quae non potest non esse Idea prima et causa exemplaris universarum quae creatae sunt rerum; quanto magis igitur Ecclesiae, quae omnium operum Ejus perfectissimum est, Eique simillimum? Huic itaque sublimi rationi innitetur illa theoria, quam libro secundo daturos nos promittimus.

Quum tamen hoc argumentum, non minus certe antiquum ac Religio ipsa, non fuerit hactenus, quod sciamus, ad Ecclesiae subsistendi rationem data opera ex professo aptatum; ideo etiam curae nobis erit, prima hujus disquisitionis parte polemica, non solum adversarios confutare, sed insuper veluti viam sternere, ut argumento planior accessus et amplior locus detur. Postquam autem, uti in Dei auxilio confidimus, argumenti ipsius causa in pleno lumine apparebit, speramus tandem historiae subsidium ideo etiam utillimum et perjucundum

fore, quia, ipsa duce, experimento docebimur quanta Dei consilii non solum sit magnitudo, verum etiam efficacitas, et quam mirifice opus temporis labentis conformaverit se ad Ideam aeternam. Atque, si fides nos docet de Christi verbo: quo posuit petram, quo jussit aedificandam Ecclesiam, quo cohibuit portas inferorum; historia exadversum, verbi divini fidelis ministra, repraesentabit rem et dicet: Ecce petram, ecce aedificationem; stant, ut jussae sunt; et ecce frementes inferorum portas: Non praevaluerunt!

Romae, ex Collegio Polono, 12 Julii, 1870.

LIBER PRIMUS

POLEMICUS

PAPA ET EPISCOPATUS

LIBER PRIMUS

POLEMICUS

Eos prae ceteris aggredi opportunum ac ratum diximus, qui minus quam reliqui de Papae potestate atque infallibilitate detrahere constituerunt.

Jam vero inter opuscula nuperrime vulgata facile est distinguere unum, ad instar manuscripti impressum, sine titulo ullo, forma folii in 4° quam ajunt, quodque non sine quadam moderatione conscriptum est; sententia autem quam exponit, tametsi denegans et revera satis infensa, tamen accedere specietenus videtur ad tolerabiles fines, et denegare curat quam potest minimum. Hujusmodi porro perquirebamus sententiam.

Initium itaque sumimus ab expositione hujus sententiae; et quando quidem luculenter exposita sit in ipsa fronte libelli, sufficiat nobis hic eam exscribere.

Ponitur porro uti: « *Quaestio.* »

« Quaeritur, inquit, num Romano Pontifici con-
» cessa sit a Christo Domino tota omnino plenitudo
» potestatis; an (et haec est sententia auctoris) con-
» cessa sit potissima quidem pars potestatis, sed non
» tota; ita ut tota plenitudo ecclesiasticae potestatis

» constet tum ex potestate Romani Pontificis, tan-
» quam elemento potissimo, et ex potestate Episco-
» porum, tanquam elemento longe inferiori et priori
» subordinato? Item quaeritur: num magisterium et
» judicium supremum et infallibile ita resideat in Ro-
» mano Pontifice, ut ipse solus, et independenter a
» quacumque cooperatione et consensu fratrum suo-
» rum et Ecclesiae, sit supremus et infallibilis judex
» (adde: *an non?* eodem quo supra sensu; et haec
» est iterum sententia auctoris)? »

Jam ex his videmus quam prope accedat, quam parum recedere videatur a sententia communi.

Porro, ne ab initio statim in ambiguo versemur, atque ut sine mora omnem nostram in propatulo exhibeamus controversiam, perspicuae sententiae opponamus aliam non minus perspicuam. Sit itaque:

Quaestio.

Num potestas ecclesiastica potest scindi in duas vel plures partes; an potius, ex necessitate, potestas ecclesiastica ipso numero una est, et residet tota in Romano Pontifice, et tota in Episcopatu; attamen (quum unitas numerica rei alicujus non excludat multiplicationem modorum) *alio modo in Romano Pontifice, alio vero modo in Episcopatu?*

Soluta hac una quaestione, solvitur etiam tota controversia, et opposita sententia statim apparet non solum non probabilis, sed ne quidem possibilis.

Paucis explicandam curabimus hanc ipsam nostram Quaestionem.

EXPLANATIO QUAESTIONIS.

In primis distinguenda est potestas in Ecclesia ab ipsa Ecclesiae essentia. Haec latius patet quam illa. Potestas enim locum principii et originis tenet; essentia autem habet non solum in se rationem originis suae existentiae, sed etiam ipsa sibi est terminus, id est, actus proprius completus; hanc autem rationem termini potestas in se ipsa non habet. Latius igitur patet essentia.

Sic, ut exemplum ex ipsa Ecclesiae infallibilitate sumamus: certe infallibilitas, quae de essentia Ecclesiae est, omnem Ecclesiam pervadit, totique inest, populusque vere fidelis perinde infallibilis dicendus est, ac omnes Episcopi et ipse Summus Pontifex; verumtamen istaec infallibilitas residet in Pontifice et in Episcopis per modum principii et originis, proindeque tanquam potestas (producendi scilicet eam); in populo autem per modum termini, proindeque nullo modo uti potestas producens, sed ut ejus effectus productus; semper tamen essentialis est etiam in populo fideli, et pertinet ad essentiam totius Ecclesiae. Distinguitur ergo potestas ab essentia; licet ex hoc ipso appareat, potestatem ad essentiam pertinere, et esse aliquem modum existendi ejusdem.

Deinde dicimus potestatem in Ecclesia, sic modaliter ab essentia distinctam, unam numero esse. Hoc vero jam pateret ex ipsa rei natura; atque si vel solis standum esset philosophicis, imo natura-

libus rationum momentis: quum in re quacumque una sit numero sicut essentia ita etiam et potestas, sive potentia, quae ad omnia essentialia se extendat illius unius rei; eadem ratione etiam in Ecclesia una sit numero potestas ex ipsa rei natura necesse ostenderetur. Nos autem postmodum id ipsum theologicis probabimus argumentis.

Tum etiam asserimus multiplicationem modorum in potestate. Quod in essentia qualibet hujusmodi inveniatur multiplicatio, id nemo certe negare potest; evidens quippe et luculentum est in omni substantia, vel imperfectissima quaque, distingui inter potentiam et actum; ipsam hanc distinctionem autem eam esse, quae inter modos substantiae ipsius distinguit.

At vero, quod etiam in potentia, et, quod hic nostra refert, in potestate, inveniatur distinctio et multiplicatio modorum, id nemini pariter dubium esse poterit, maxime si de perfectioribus sermo sit substantiis. Certe si de morali hominis natura agere libuerit, voluntas est potestatis sedes ipsaque moralis potestas; jam vero haec voluntas, quae potestas est, producit actionem, qui est terminus ejus, alio quidem modo quum agit per solam cognitionem intellectus, alio vero quum per solum appetitum agit; imo etiam hos utrosque modos in una actione consocians, jungit illos quidem, sed non in unum commiscet, neque unum in alium permutat. Ut nihil jam dicamus de perfectissimo hujus rei exemplo quod est in Sanctissima Trinitate: ubi Spiritus Sanctus ultimus vera fide creditur terminus illius vis producendi, quae est in divina natura ad intra; Pater vero et Filius unum

est principium et origo illius productionis; attamen hujus unici principii alius est modus existendi in Patre et alius in Filio. Sed de hoc, inquam, nihil nunc dicimus: namque huic argumento fusius evolvendo specialem alterum librum consecrare statuimus. — Distingui itaque possunt, non solum in essentia, sed in ipsa potestate, plures modi quibus illa existit et exercetur.

Tum demum affirmamus: sicut per suam multiplicationem modorum non scinditur essentia, ita etiam per suam multiplicationem neque scindi, neque dividi potestatem. Quantoslibet modos essentia rei alicujus in se contineat, manifestetque ad extra, semper tamen in se una est numero. Sic etiam de potestate dicendum est. Potest ipsa quidem, in existendo et agendo, plures habere modos; nefas tamen est asserere hos modos potestatem in plures discindere partes; quin potius affirmandum omnino, quod est caput rei: potestatem semper unam numero remanere, modos vero quibus existit, relationes quasdam esse ex quibus constituitur potestatis existentia et operatio, et in quarum unaquaque tota potestas, licet alio et alio modo, eadem tamen numero atque integra invenitur.

Quando itaque asserere curamus Papam et Episcopos unam eamdemque numero potestatem in Ecclesia tenere, jam patet nos minime contendere hanc potestatem ex Papa et ex Episcopis veluti ex partibus quibusdam esse conflatam; quod adversarii incaute et praeter rei naturam pronuntiant; sed vero hanc unam eamdemque potestatem totam aimus esse

in Papa, totam etiam in Episcopatu, veluti in terminis mutuae et necessariae relationis, hic alio, illic vero alio modo.

His ita explanatis, forte jam pronum esset de his maxime modis veram producere sententiam; nisi id nos moraretur, quod de ipsa natura potestatis, hic ab initio sufficienter non explicata, posset in subsequentibus neque una, neque levis suboriri difficultas. Satius itaque erit de hac natura potestatis maturiora cum adversariis consilia conferre.

Explanatio naturae potestatis de qua quaestio.

In omni societate humana potestas unum obtinet jus supremum (quod gallice, et italice: *la souveraineté, la sovranità,* nuncupatur); triplex vero habet jus particulare, hujus summi juris triplex exercitium.

Vel enim *jus praescribit,* finem et principia praefigendo, auxilia indicando, leges statuendo, et tunc potestas fit *legislativa;*

Vel *jus dicit,* applicando quod tanquam legislativa praescripsit ad particulares personas et causas, et tunc fit *judiciaria;*

Vel tandem *jus exsequitur,* omnia ordinate disponendo, et etiam vi cogendo ad ea quae, sive ut legislativa constituit, sive ut judiciaria pronuntiavit, sive ut exsequens disposuit, et tunc potestas fit *regens ac gubernans.*

Potestas itaque in societate humana una est quantum ad jus supremum, triplex quantum ad jus parti-

culare, sive aliis verbis: una est juxta suam intimam naturam, triplex juxta modum quo exercetur.

Ubi hoc etiam obiter notasse juvabit, quod in altero libro fusius exponere curabimus, sed quod ex ipsa natura rei jam nunc unicuique patet: nempe, inter tria haec juria particularia distinctionem veram intercedere: nam legislativum non est judiciarium, neque horum alterutrum est regens et gubernans; nihilo secius tamen inter unumquodque horum jurium et jus supremum nullum dari discrimen; nam et legislativum, et judiciale, et gubernans, summum jus est; itidemque vice versa: jus supremum una simul et legislativum, et judiciale, et regens gubernansque omni dubio procul esse intelligitur.

Quandoquidem porro Ecclesia sit etiam societas humana, licet ad divinum finem instituta, haec eadem potestatis natura et in ejus constitutione locum obtineat necesse est.

Est itaque in Ecclesia subjectum aliquod (quale et quantum sit discussio demonstrabit), in quo necessario jus supremum residet.

Hoc subjectum ecclesiasticae potestatis gaudet deinde ex necessitate plenissimo illo triplici jure particulari, pleno etiam ejus exercitio, quo tandem jus supremum constituitur.

Est igitur haec potestas in primis legislativa; et quum in Ecclesia fides non minus legibus subjaceat quam mores, seu quod idem est: quum in Ecclesia inter leges, praeter praecepta, connumerentur etiam et dogmata, quae sunt leges intellectus et fidei, rite sequitur potestatem legislativam Ecclesiae ea omnia

amplecti quae in discussionem nunc veniunt nomine *Infallibilitatis* sive Papae, sive Ecclesiae in genere, definientis de fide et moribus; id est Ecclesiam habere supremi jus *Magisterii*.

Est deinde potestas judiciaria interni et externi fori, quae communiter appellatur potestas *Jurisdictionis*.

Est demum potestas regens et gubernans, quae omnia ordinate disponit, auxilia opportuna adhibet, decreta per vim etiam, maxime autem spiritualem, exsequitur; et, quod caput est, omnes fideles in unum corpus consociat. Haec etiam nuncupatur potestas Jurisdictionis, bene tamen vero ab eadem distinguitur etiam, atque curiosius et recte appellanda est potestas *Regiminis* et *Gubernationis*.

Haec omnia quae modo de potestate ecclesiastica disseruimus, Concilium Oecumenicum Florentinum, de Romani Pontificis loco definiens, gnaviter una simul et conjunxit, et distinxit.

In primis namque adtribuit ei jus supremum, dum statuit : « Pontificem Romanum successorem esse » B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi » Vicarium, totiusque Ecclesiae caput. »

Deinde omnia particularia jura, suo quodque loco, eidem decernit.

Decernit potestatem judicialem, dum eum pronuntiat: « Omnium Christianorum Patrem ; » —

Decernit et legislativam potestatem, dogmata scilicet fidei et leges morum jubendi, dum eum dicit omnium item Christianorum ; « et Doctorem exi» stere ; » —

Decernit tandem potestatem regendi ac gubernandi, dum ultimo loco adtribuit: « et ipsi in Beato » Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem » Ecclesiam.... » —

Non tamen quomodocumque, sed ex divina institutione, id est: « a Domino Nostro Jesu Christo... » —

Et non qualemcumque, non mancam, non dependentem ab aliis, sed: « *plenam potestatem* tradi» tam esse. »

Quibus postremis ad initium redit verbis, nempe ad supremum jus denuo et ultimo affirmandum.

Ita Concilium Florentinum. Certe definivit hic etiam, et quam maxime, dogma de subjecto istius summae potestatis; nos tamen hunc locum adducimus in praesentiarum eo solo fine: ut tanta auctoritate firmemus nostram de potestatis natura explanationem; et jam oppido confidimus de hac natura potestatis in Ecclesia luculenter nobis constare.

Verum enim vero antequam ulterius progrediamur, facere non possumus quin contra adversarios nostros, bona eorum venia, unum, eumque non levem, moveamus lapidem.

Est enim quod miremur. Doctissimi namque quique atque probatissimi ex istis domesticis adversariis nostris, ultro concedunt Romano Pontifici plenam, id est summam, potestatem in genere, et summam etiam in utraque provincia: *jurisdictionis* scilicet pressius sumptae, et *regiminis ac gubernationis;* ita ut haud dubie declarent schismaticos et haereticos fore qui eam denegassent. Quare igitur in hac ultima

provincia, id est dogmata et leges jubendi, seu quod idem est: in provincia supremi, proindeque *infallibilis Magisterii*, eamdem ipsi recusent, id satis mirari non possumus. Relatio certe et connexio hujus juris particularis cum ceteris juribus evidentissima est, neque possunt adversarii non eam videre. Deinde hoc jus particulare magisterii ad supremum jus pertinere, non minus est evidens. Imo vero hujus specialis juris cum supremo jure non solum relatio et connexio, sed identitas perfecta et absoluta affatim probatur. Quomodo igitur iidem, qui juxta Concilium Florentinum plenam potestatem, id est supremum jus, Romano Pontifici concedunt, qui ei deinde et in iurisdictionis et in regiminis iuribus nihil denegant; quomodo inquam, qua tandem ratione, iidem ipsi, Romano eidem Pontifici, in jure magisterii summam potestatem abrogare non admodum quidem cunctantur? Ipsi viderint quomodo secum constent, aut quid quaerentibus respondeant!

Satis egimus de potestate. Sed probe novimus potestatem in subjecto residere. Proindeque si de potestate explanavimus, explanare etiam debemus de ejus subiecto quaestionem.

Quaestio de subjecto potestatis.

Subjectum Potestatis est profecto illa persona, sive personarum coetus, quam, vel quas penes, potestatis est jus.

Porro quantum spectat ad potestatem Ecclesiasticam, inter omnes Catholicos constat: Subjectum

hujus potestatis in Ecclesia, generatim sumptum, Papam esse juxta atque Episcopos; necnon Papam omnium Episcoporum et totius Ecclesiae caput esse, atque tenere primatum honoris et jurisdictionis. Res ipsa, et ratio ejus, de fide sunt: namque haec est institutio Christi; proindeque ab omnibus Catholicis communi confessione tenentur.

Id vero, de quo non satis constat, ac proinde disceptatur, hoc maxime est: cujusmodi videlicet sit relatio ultima inter Papam et Episcopos?

Relationem *primam,* eamque normalem, eam esse quam proxime enuntiavimus, eamque in ordinaria rerum conditione, quando videlicet Papa et Episcopi secum cohaerent, mutuaque concordia operantur, semper vigere, inter omnes convenit omnino. Non ita tamen de relatione *ultima,* nempe, quando supponitur discidium inter utrosque: ita ut hinc Papa, illinc vero Episcoporum integrum corpus, aut saltem maximus eorum numerus, in diversas abeant partes. Quisnam tunc eorum rerum summa potiatur? Quodnam tunc sit verum potestatis subjectum? Scissum ne sit in duo? vel utrum Papa solus? an vero soli Episcopi? quaestio maxima fervet; atque re quidem vera, non omnino sine causa.

Causam quaestionis hujus ipse Christus Dominus posuisse videtur. Etenim vero ex una parte, Petro in persona, atque in hac ejus persona Pontificibus Romanis (contra quorum in Petri jura successionem nulla hic difficultas movetur), Christus Dominus omni dubio procul contulit plenam in sua Ecclesia potestatem. Sed non minus aperte contulit eam Apostolis,

in quorum jura, pro rata parte, Episcopos successisse, aeque ac de illa priori successione, omnes conveniunt. Qua quidem agendi ratione non unum, sed duo potestatis subiecta, Christus in Ecclesia constituisse videtur.

Quod quum ita sit, oppido apparet verissima causa quaestionis. Certe enim haud dubia regula est: quando quaeritur de subjecto potestatis ecclesiasticae, in determinando hujusmodi subjecto non esse standum rationibus ut ut probatissimis, et solum id attendendum quod Christus Dominus instituit. Quid igitur re vera instituit Christus? Et maxime, quodnam ex ejus institutione, in illo ancipiti casu, verum et proprium dicendum est potestatis subjectum? Haec est quaestio pressius definita, in qua prioris quaestionis de relatione inter Papam et corpus Episcoporum ultimus constituitur nodus.

Nos hanc quaestionem omnem non jam hic loci solvendam, sed tantummodo explanandam curamus. Ad explanationem porro pertinebit rationes expendere: quibus Christus tum Petrum, tum Apostolos, hujus potestatis subjectum jusserit? Cognitis namque terminis quibus jus pactum est, tum demum et jus ipsum, quod illi termini continent, optime patebit.

Certum est itaque in primis potestatem regiminis, ut ab hac ultima exordium capiamus, divinitus collatam Apostolis fuisse, quum dictum sit: « Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei » (Act. Ap. XX, 28). »

Certum ex alia parte eamdem potestatem soli etiam personae Petri, et plenissime quidem, collatam

esse, quando ei Christus dixit: « Pasce agnos meos, » pasce oves meas (Joan. XXI, 15, 16, 17.). »

At, statim apparet, quod explanationis gratia animadvertimus, Petro aliquid majus esse adtributum, idque ex duplici capite: et quod soli personaliter detur quod ceteris omnibus datum est in commune, et quod datum sit supra ceteros omnes; nam ovium nomine quas Petrus regere jubetur, nemine hic contradicente, Apostoli ipsi, i. e. Episcopi intelligendi sunt.

Planum est deinde Apostolos, sive Episcopos, obtinuisse et potestatem judicialem, quandoquidem et ad ipsos dictum sit: « Accipite Spiritum Sanctum. » Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et » quorum retinueritis, retenta sunt (Joann. XX, » 22. 23.). »

Planum ex alia parte Petrum eamdem pro persona sua accepisse potestatem, dicente Christo: « Et » tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque » ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et » quodcumque solveris super terram, erit solutum et » in coelis (Mat. XVI, 18.). »

Sed hic etiam ad explanationem pertinebit adnotasse, idem duplex intercedere discrimen quod et prius; nempe, et quod soli Petro detur plenissime quod ceteris in commune, et quod insuper dentur huic soli claves ipsae potestatis, quae ceteris nuspiam datae leguntur; atque eo ipso supra omnes Petro datae intelligantur.

Evidens deinde est Apostolis sive Episcopis tributam esse potestatem quam dicimus legislativam,

aut etiam Magisterii; ad ipsos namque loquutus est Christus: « Euntes docete omnes gentes.... docen» tes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis (Mat. XXVIII, 19, 20.). » —

Evidens ex alia parte: eamdem potestatem tributam esse et Petro. Ipse enim est qui et cum ceteris docet, et solus audire meruit: « Ego autem ro» gavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu, aliquando » conversus, confirma fratres tuos (Luc. XXI. 32.).»

Ubi rursum idem rerum cernitur delectus. Et solus tenet Petrus excellentiori modo id, quod ceteri habent, quippe qui deficere ut ceteri non potest; et supra ceteros id habet, quod eosdem ipsos in fide, ac proinde in docendi munere, solus unus confirmet.

Scio equidem contra hunc locum ex nostratibus etiam non paucos, hodie praesertim, nullum non movere lapidem. At considerent una cum nobis, quaeso, diligenter haec pauca:

1°. Facto opus nunquam fuisse ut Petrus confirmaret ceteros Apostolos, consortes suos et fratres; namque Judas jam abierat in locum suum, ceteri vero Apostoli, speciali privilegio, perinde ac ipse Petrus, in fide deficere non poterant. Excurrunt igitur et extra rei veritatem vagantur, qui officium his verbis Petro impositum ad ipsius personam solam reducere, et quantum vita ejus tantum modo duraturum asserere maluut (1).

(1) Vehementius mirandum est illud, quod legimus in libello cujus mentionem fecimus. « Petro, inquit, munus a Christo fuit im» positum, ut postquam poenitentiam egisset, fratres suos firmaret

2°. Accedit, quod Petrus eos fratres confirmare jubetur, quos Satanas expetivit ut cribraret sicut triticum. Certum est autem, pro rerum humanarum ut sunt natura, et Dei sapientissima justitia, Satanam obtinuisse quod expetierat; secus non oraret Christus pro Petro. Jam porro diximus Apostolos in hac cribratione nihilo magis defecturos fuisse, quam ipse Petrus; et pro ipsis igitur utique oravit Christus. Cur vero id palam professus non est? Immo cur palam aliquid contrarium asseruit? *Vos*, inquit, expetivit Satanas ut cribraret; Ego autem rogavi pro Petro! Cur igitur, nisi quia quum *Vos* diceret, non hos maxime praesentes intenderet, sed omnes eorum successores, qui revera quidem et vehementer a Satana cribrandi erant? De Episcopis ergo futuris loquebatur. Eodem pacto et non pro Petro solo, sed vero maxime pro futuris ejus successoribus, ne deficerent, oravit.

» in illo passionis suae calamitosissimo tempore... ne regnum Christi... » prima illa vehementi tempestate corrueret (pag. 3.). » Pro illo, igitur, passionis tempore tantum? At ubi legitur Petrum illo tempore Apostolos confirmasse? Nonne tum maxime poenitentiam agebat, et ipse potius confirmandus erat quam confirmare poterat? Verum, ne quidem tempus tum erat quo Petrus fungeretur hoc *munere*, ut auctor dicit, confirmandi; quum Apostoli suo munere Apostolatus certe nondum fungerentur. Haec igitur somnia sunt.

Quod porro ulterius addit auctor libelli, ut aliquantulum tam exclusoriam interpretationem mitiget, scribens: « Tamen in hac circa » Petrum et Apostolos in illo passionis tempore Christi oeconomia » fuit adumbrata, praefigurata, et allegorice praenuntiata illa spe- » cialis providentia, quam Deus habiturus esset circa cathedram Pe- » tri (ib.); » hoc inquam nihil juvat. Nam si illa oeconomia non nisi vanum somnium dicenda est, et haec providentia tanti etiam valebit; neque aliquid adumbrare, praefigurare, aut allegorice praenuntiare unquam poterit res vana et futilis.

3°. Accedit, quod illa fidei inimica cribratio, a Satana peragenda, causa erat cur Christus oraret ne Petrus in fide deficeret. Effectus igitur hujus orationis debet tantum durare, quantum et causa ejus. Atqui Satanae iniqua tentamina perduratura esse usque ad finem mundi, nemini dubium est. Et Petri igitur fidei virtus, eique impositum officium confirmandi, usque ad finem perseveret, perinde est necesse.

4°. Denique consideratum venit: illis Christi verbis Petro impositum fuisse officium aliquod sollenne, sed et jus ad alios concessum. Sollennia autem jura et officia neque a Christo constituta sunt, neque a Spiritu Sancto in codicem evangelicum relata talia, quae (ad mentem adversariorum loquor) post viginti, vel triginta annorum spatium, jam vixisse dicenda forent. Praeterquam quod tali hypothesi admissa, jam de nulla sententia Christi, de nulla institutione ejus, de nullo jure ne dicam Papae, sed ne Episcoporum quidem, aliquid certi et rati stare amplius posset. Dixit utique Christus: *Tu es Petrus! Tibi dabo claves! Quodcumque ligaveris!* dixit id quidem; sed cur impediar contendere pro illo viginti, vel triginta annorum spatio id tantum edixisse? Eodem jure et de omnibus quae ad Apostolos loquutus est Christus, idem ipsum contendendum permittitur; neque tunc alius licentiae finis, nisi quum aliquando totius Ecclesiae tandem pessumdaretur constitutio. Aut hic igitur finis, aut certe stat, illis verbis Christi firmata, Petri summa ista etiam legislativa potestas; stat supremum jus magisterii.

Non me fugit adversarios etiam ex traditione pro

hoc suo negativo placito negativum proferre argumentum: silentium videlicet quinque circiter priorum seculorum; quorum ajunt, siquis patrum haec verba Christi interpretatus est, ea ad Romanos Pontifices referre suspicatus est nemo (1). Possumus non concedere; sed demus, si lubet. Quid tandem inde? Flocci forte faciendum erit sequentium seculorum magis magisque in dies luculentum testimonium? Aut negativum argumentum in fidei negotio probandi vim usurpabit? Maxime vero quum habeamus tam positivum, perspicuum, disertissimum Sacrae Scripturae et Christi ipsius eloquium, quod, velint nolint, si semel ad unguem interpetrandum est, alio sensu quam quem explanavimus, explicari nequeat?

Jam satis sit de hoc loco evangelico; quem plenius expendendum ideo curavimus, quia in tota hac controversia ad rem mirum quantum facit; tum etiam quia ob nullam aliam utique, nisi ob hanc causam, adversarii nostri eidem prae ceteris infitias ire majori impetu adnisi sunt.

---

(1) Certum est plures ex Patribus illorum seculorum dum verba haec interpretarentur, potissimum respexisse ad defectionem Petri, passionis tempore, ejusque mox sequutam *conversionem*, ad quam illa verba sine dubio alludunt; minus autem, vel etiam nihil curasse de *confirmatione* fratrum, de qua directe agunt verba illa, et neglexisse eum sensum, qui postea ex his verbis magna consensione erutus est. Attamen certum est etiam: ex eo quod per aliquod temporis spatium Doctores aliquem sensum ex verbis Scripturarum eruere praetermiserint, haudquaquam sequi eumdem in iis non inveniri, et sequentes doctores, eoque magis Ecclesiam ipsam, pleniorem et integrum sensum verborum illorum non posse determinare. Verba enim manent, locus Scripturarum est semper qualis est; neque ulla praetermissio, aut ad alios sensus probabilis et non contradicens applicatio, possunt contra jus praescriptionem inducere.

Habet igitur et Petrus summam legislativam potestatem, habet summum jus magisterii, etiamsi solus spectetur; et supra omnes habet.

Agebamus hactenus de juribus particularibus; superest nunc jus supremum, cui omnia illa veluti suo firmamento innituntur. Porro, explanatio quam suscepimus hujus de subjecto Potestatis quaestionis tum demum omnibus numeris absoluta erit, quando constiterit qua ratione Petrum, qua vero Episcopos, Christus Dominus istius ultimi, id est summi in omni potestate ecclesiastica juris subjectum renuntiaverit.

Quod Petrum hujus juris summi verum ac proprium subjectum Christus creaverit, de hoc nemo, ne adversariorum quidem, ambigit unus. Et sane, manifestum prostat creationis decretum: « Tu es Pe» trus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam » meam (Mat. XVI, 18).»— Queis verbis, non particulare illorum priorum ullum, non legislativum, non judiciale, non regiminis; sed hoc ipsum omnino, jus nempe in genere summum, et in ipso cetera omnia, Petro Christum contulisse nemo non videt. Petrus Petra creatur, et petra totius et pro semper Christi Ecclesiae; scilicet creatur omnium in ea jurium ac potestatum fulcrum, fundamentum et radix. Hoc vero ipsum est jus summum, quod Petro his verbis collatum est. Verba, amplissima sane et efficacissima, haec ipsa sunt quae constituunt regium illud, seu potius Pontificium diadema, quod solius Petri proprium est, quod cum ipso communicare potest nemo.

Nescio penitus quomodo nonnulli ex nostris possunt objectare hic nobis, veluti aliquid contrarium, plurimorum Patrum interpretationem, qui fidei a Petro confessae hoc privilegium Petrae adtributum intelligunt! Jam ad satietatem objectioni huic responsum est sexcenties. Protestantium hoc est inventum, quod tamen isti nostri recoquere non dubitant. Forte eos latuerat nos Patribus illis non contradicere, et fidem Petri una cum illis, eodemque sensu extollere? Sed num nam et hoc ignorabant: fidem illam non fuisse abstractam, sed personalem Petri; neque aliquid *abstractum* Christum alloquutum fuisse, sed vero personam Petri; et, quod caput est, illud pronomen *Tu*, quo usus est Christus, habere suum sensum litteralem, qui nulla interpetratione metaphorica, aut ad aliud accommodata, loco suo moveri possit, et semper manet hoc quod dicit; id est: *Tu!* id est: Petrus in persona? Num tandem et hoc ignorant: fixum ratumque esse sensum litteralem prae primis retinendum? Parcant igitur cavillationibus, et maneat Petro jus suum, jus Petrae, id est omnium jurium jus summum.

Nunc ad Episcopos veniamus. Quod Episcopi ex institutione Christi ejusmodi jure potiti sint, de hoc ambigere licet, immo potius recte ambigitur. Nullum etenim prostat decretum Christi, nullum de ullo testimonium Scripturarum. Testimonia quae de juribus particularibus agentes non ita pridem adduximus, jam fere omnia sunt quae in gratiam Episcoporum in sacris eloquiis invenire est, quaeque ab adversariis identidem citantur. Siqua supersunt, paria sunt

illis. Alia autem, quibus jus summum Episcopis adscriberetur, si qua ab adversariis conquirebantur, aut nulla sunt inventa, aut perperam in medium adducuntur.

Verum quidem est continere Evangelium aliquem generalem locum unum, qui Apostolis simul sumptis plenam et quasi hanc summam potestatem adtribuere videtur; nempe quando eis dixit Christus: « Sicut » misit me Pater et ego mitto vos (Joan. XX. 21.). » Cui simile est illud quod dixerat superius: « Sicut » tu me misisti in mundum, et ego misi eos in » mundum (Jo. XVII, 18.). » Hoc verissimum est, neque nos contendimus Apostolos, successoresque eorum Episcopos, singulos pro sua parte, plenam potestatem vere non participare; quinimo diserte asseruimus eos, tametsi, alio modo ac Papa, tamen totam et integram potestatem inter se in solidum obtinere, et sic etiam summum jus quodammodo participare. Sed vero quum distinxerimus inter particularia jura (quae quidem integram potestatem explent et aequant), et inter illam specialem rationem, sub qua tota potestas peculiari modo consideratur veluti sui ipsius principium, et omnium jurium summum jus et ultima ratio; quum, inquam, haec distinxerimus: jam hac ipsa distinctione, in re et veritate profecto fundata, prohibemur admittere verba Christi, modo recitata, de summo illo et ultimo potestatis jure Apostolis tributo intelligi posse. Commode enim haec verba: « Sicut misit me Pater et Ego mitto vos! » intelligi possunt de omnibus illis particularibus et in suo genere summis juribus quibus summa potestas expletur et aequatur; neque ulla est necessaria ratio ut

de hoc ultimo et absolute summo jure per vim intelligantur. Quin immo, ut non intelligantur, ratio sufficiens in promptu est.

Et sane, si illa verba: « Sicut misit me Pater et » Ego mitto vos! » pressius acciperentur, maxime vero illa particula: *sicut*, et de hoc summo jure interpretarentur, sequeretur prorsus: unumquemque Apostolorum missum esse a Christo, *sicut* et ipse missus fuerat a Patre. Hoc autem unicuique adtribueret illud summum jus ex integra causa, et independenter quidem ab aliis. Ita certe, si ita pressius. Quantumvis porro lenire postea hunc rigorem voluisses, atque asserere Apostolos his verbis, non singulos seorsum, sed omnes in solidum summum jus accepisse, nonne statim videres illa eadem verba mire contorqueri et penitus evacuari? Nam sine dubio tunc Apostoli non essent missi *sicut Christus*. Christus enim suam potestatem solus unus et cum nemine alio in solidum tenebat; Apostoli autem, secus omnino ac Christus, in solidum eam tenuissent omnes, et solus eorum tenuisset eam nemo. Non igitur *sicut* Christus.

Necesse proinde est ut dicatur, illis verbis: « Sicut misit me Pater et Ego mitto vos! » Christum largitum esse Apostolis omnem potestatem, similem illi suae quam secum ex alto attulerat; sed potestatem in sua re spectatam, id est: et Magisterii seu legislativam, et judiciariam, et regendi ac gubernandi; nam, quantum ad haec omnia, in cunctis Apostolis et Episcopis vera probatur illa particula: *sicut;* non tamen adtribuisse iisdem potestatem in suo ut ita dicam apice sumptam, id est: ipsius potestatis sum-

mum personale jus, et ultimam rationem personae inhaerentem; nam tum neutiquam misisset eos *sicut* et ipse missus fuerat a Patre.

Haec videntur affatim sufficere ut hic locus evangelicus a tali interpretatione excludatur; neque opus nobis est ad aliam rationem confugere; quae tamen non minoris est ponderis. Sane, si iste locus id probaret quod contendunt, nimium oppido probaret. Tum enim omnia illa munera, quae vidimus Christum tanta cura et industria in caput Petri contulisse, uno hoc verbo e medio tollerentur. Porro qui nimis probat, nihil probat. Sed hac ratione plenius explicanda supersedemus, quum illa una ratio vera sit et omnino sufficiat; hoc autem explicare et nimis longum sit, et opportuniori loco fieri possit, et referatur ad rem, quae ex se ipsa patet.

Itaque locus iste evangelicus, qui hic solus aliquid valeret, etsi de cetero plurimum valeat, ad hoc tamen summum jus Episcopis vindicandum nihil profecto confert. Nunc autem facillimum erit ostendere alia loca multo infelicius et omnino perperam adduci.

Non admodum ad rem, verbi causa, in medium profertur ille locus, ubi scribit Apostolus: « Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu (Ephes. II, 40). » Namque dubio procul non de fundamento potestatis et jurisdictionis, aut summi juris de quo quaestio, sed nonnisi de fundamento fidei verba hic facit Apostolus. Fidei autem fundamentum testimonium est fide dignum. De testimonio igitur cui fides superstructa sit, verba haec intelligantur

oportet. Quod autem verba haec sic intelligenda sint, auctor est ipse idem Apostolus.

Omitto quod illic loci vel ipse sermo ejus sit de fide et de gratia sanctificationis, ex eadem promanante. Solum hoc unum sufficiat: sanctum Paulum Prophetas aeque ac Apostolos illis verbis pronuntiare fundamentum. Cujus autem rei fundamentum Prophetae? Minime certe Ecclesiae totius qualis est, aut potestatis in ea; eo vel minus summi juris; sed fundamentum fidei sunt utique Prophetae, idque in quantum praebent nobis testimonium fide dignissimum. Eadem ergo ratione fundamentum nostrum et Apostoli; saltem ex hoc loco S. Pauli; nam quod ex aliis eloquiis pleniori sensu Apostoli fundamentum dicendi sint (certe vocati sunt a Christo ad consortium ipsius potestatis), id jam asseruimus ipsi, et in quaestione nullo modo ponimus.

Quod vero hic dicat Apostolus: « ipso summo angulari lapide Christo Jesu; » magis adhuc confirmat quod asseveramus, nempe de fidei fundamento sermonem esse. Quomodo enim Prophetae huic lapidi, Christo Jesu, innixi intelliguntur, nisi quia eum praedixerunt? Sic et Apostoli, ut paritas servetur qua hic Prophetis aequantur, eadem ratione, quia eum praedicaverunt eidem innituntur. Illi praedicendo, isti praedicando, facti sunt utrique fundamentum fidei nostrae, quod tandem angulari illo lapide Christo Jesu fulcitur.

Perperam igitur adducitur hic textus ex Apostolo. Profecto, si serioribus temporibus scripsisset, quum jam testium numerus creverat, potuisset eodem sensu, eodemque jure dicere: Superaedificati super fundamen-

tum Apostolorum, et Prophetarum, et Martyrum, et Confessorum, et Virginum. Nam nos omnes, nostraque fides, certissime nunc temporis tali fundamento testimoniorum superaedificata est.

Misso jam semel hoc loco, alium non video superstitem ullum. Nam ille qui profertur alicubi: » Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis (Tim.III, 15); » neque de Apostolis agit, sed de Ecclesia in genere; neque de potestate in Ecclesia, eo vel minus de summa, sed de veritate.

Conquisitis igitur undique testimoniorum locis, nulla diligentia inveniri potuit aut potest vel unus, qui Apostolis, sive Episcopis, adtribuat summum in Ecclesia jus, summamque potestatem. Ubi hoc probe observandum est, quod quum in ceteris juribus et potestatibus donatio a Christo bis largita fuisset, semel Petro, atque iterum Apostolis; in hoc summa jure largiendo semel tantum facta est, et soli quidem Petro.

Haec sufficiant. Quaestio de subjecto potestatis in Ecclesia, quale id Christus Dominus creaverat iis omnibus documentis quibus creatio haec firmatur, coram productis, non dicimus quod jam soluta sit, quamvis alicui ingenue rem consideranti id forte non immerito jam videri possit, attamen certe explanata est. Scimus nimirum quid causae fuerit ut haec quaestio oriretur: duplex ille videlicet decretorum Christi ordo; scimus deinde quibus terminis contineatur. Hoc postremum tamen accuratius etiam determinandum operae pretium erit.

Duo itaque hac in re Christi decretorum sunt or-

dines: alius qui ad Petrum solum refertur, alius qui ad Apostolos. Utrisque his decretorum ordinibus, ibi Petro, hic Apostolis, confertur potestas in Ecclesia. Primum igitur quod in mentem venit, inspecta tali rerum conditione, non aliud esse videtur quam quod duplex sit in Ecclesia potestatis subjectum. Neque refert quod non eodem gradu aut jure rerum summa potiantur; etiamsi non omnino pares sint, duo tamen sunt.

Jam vero ex prius explanatis, de ipsa scilicet potestatis natura, et jam certum est, et deinde accurate demonstrabitur, potestatem in Ecclesia unam eamdemque numero esse.

Quomodo igitur duplex potest esse unius potestatis subjectum? Et tamen duplex non esse non potest: stat enim verbum Christi, et non stare non potest profecto.

Ut ex hisce angustiis in liberiorem campum prodeatur, duae sunt inventae viae, quorum unaquaeque sui generis sententia est et doctrina: altera quidem vera, altera autem falsa; quarum unaquaeque tamen, expresse nullam distinctionem in subjectum potestatis inducit.

Altera igitur earum ea est quae docet: verum et proprium potestatis subjectum Papam esse, cum Episcopis certe si ipsi consentiunt; sed etiam, si ita res evenerit, sine Episcopis, saltem sine quantumvis magno aut etiam majori Episcoporum numero; nam quod omnes unquam a Papa desciscant, id haec sententia non admittit, et recte quidem.

Haec doctrina vera est, eamdemque et nos pro-

pugnamus, nisi quod in definitione subjecti distinctionem adhibere necessarium putemus, cujus ope veritas istius doctrinae in pleno lumine collocetur.

Altera vero sententia ea est quae tenet: verum et proprium potestatis subjectum Episcopos esse generatim, cum Papa utique, tamquam cum suo capite, cui competant omnes praerogativae honoris et jurisdictionis; nihilo tamen secius, si ultimum veniat discrimen, et Papa dissentiat, etiam sine Papa; saltem sine hac persona Papae dissentientis, cui tunc alia substitui potest.

Hanc doctrinam falsam ostendemus: interim tamen monemus et hanc sententiam, pejorem tamen in modum, eodem vitio laborare, quod et priori illi sententiae impedimento est, ne plena omnino et probatissima illico appareat. Id vitii autem in hoc consistit, quod et haec sententia, non duplex (quo tandem modo duplex? inferius patebit), sed unicum supponat potestatis subjectum.

Pejorem tamen diximus conditionem hujus alterius doctrinae. Nam sane, semel ac unicum supponit potestatis subjectum, et ex una parte in ejusdem ratione maximas, imo potiores partes Papae adtribuit; ex altera tamen parte reliquis Episcopis jus concedit et potestatem judicandi atque deponendi Papae, cui illas partes potiores in ratione subjecti nihilominus adtribuerat; jam oppido patet: in illo ultimo saltem rerum discrimine, hanc sententiam non jam potiora, sed nulla jura Papae concedere, aut saltem omnia jura tum certe perimere, Papamque ex ratione subjecti potestatis tum penitus expungere; et sic, ingenti hu-

jusmodi contradictione in se admissa, sententiam hanc se ipsam destruere. Profecto in illa priori nullam hujusmodi contradictionem deprehendere licet.

Verum enim vero non hoc unum isti sententiae in crimine ponendum erit; videbimus namque eam, si semel admittatur, totam Ecclesiae constitutionem sursum deorsum versare. Sed de his postea. In praesentiarum autem id tantum monemus, quod et ista sententia perperam unum tantum subjectum potestatis in Ecclesia esse opinatur, quum Christus Dominus subjectum constituerit duplex.

Observavimus porro superius, neque illam priorem magis hanc distinctionem curare. Attamen distinctio haec omnino curanda est, et ex ipsa demum totius quaestionis solvitur nodus. Remanet itaque tamquam postulatum: ut probetur hujusmodi distinctio in ipso subjecto potestatis ecclesiasticae. Et hoc pertinebat ad explanationem totius hujus de subjecto quaestionis.

Resumitur quaestio.

In primis igitur probandum a nobis est potestatem in Ecclesia unam numero esse, proindeque nullo modo scindi posse in partes.

Probandum deinde est, secundo loco: subjectum potestatis, a Christo institutum, non unum absolute, sed neque dicam duo omnino, verum enim vero duplex revera esse.

Quomodo autem duplex? id modo plenius aperiendum est. Paucis rem explanabimus.

Subjectum olim in scholis fere id audiebat quod

et substantia. Quemadmodum substantia dicitur subesse accidentibus, accidentia vero inhaerere substantiae, ita pronuntiabatur et de subjecto; nisi quod *subjectum* magis coarctabatur quam *substantia*, et pressius significabat ipsam substantiam in quantum ei inhaerebant accidentia, eamque solam cui inhaererent. Hoc sensu dicebatur cum adjecto: *subjectum inhaesionis*. Substantia itaque latius patebat quam subjectum; ita ut Deus optimo jure dici poterat substantia; dici autem non permittebatur subjectum; cum ejus substantia in nullam veniret compositionem cum accidentibus.

Hic erat olim in scholis genuinus et accuratus sensus hujus vocis: *subjectum*. Postea tamen latior eidem adtributa est significatio; et quin aliquid dicam de latissimo ejus, in recentiori praesertim philosophia, usu et abusu; satis erit monuisse: in Theologia etiam, maxime vero in morali, juxta atque in jure, nunc communiter *subjectum* idem ferme valere quod et *suppositum*, sive *personam*, cui aliquid adtribuitur.

Hoc igitur posteriori sensu vocem *subjecti* hic usurpamus; quod ceteroqui adnotasse supervacaneum non erat, ne forte communis vocis significatio cum metaphysica significatione ejusdem commisceretur in disputatione, ubi etiam metaphysicas rationes opus erit adducere.

Duplex itaque dicimus Ecclesiasticae potestatis subjectum; id est, duplicem speciem personarum quibus haec potestas adtributa est a Christo: altera species est sola persona Petri, seu Papae; altera vero est integer coetus Apostolorum, seu Episcoporum.

Attamen non ita asserimus duplex, ut sint duo separata subjecta. Nam quum potestas sit una, si subjecta separarentur, potestas etiam divideretur necesse foret. Alio igitur modo est duplex, et quidem sequenti.

Si potestas ipsa directe attendatur, et subjectum sumatur materialiter et quodammodo substantialiter (id est, non uti subjectum formaliter, sed uti potestas ipsa in omni sua ratione subsistendi); tunc utique dicendum erit subjectum unum esse: Papam scilicet et Episcopos una secum cohaerentes. Quod si tamen non potestas, sed subjectum attendatur directe, et subjectum sumatur formaliter, i. e. uti subjectum; tunc recte et necessario dicendum erit: subjectum esse duplex, id est, ita comparatum, ut illud prius subjectum, materialiter et substantialiter sumptum, existat in duobus terminis, ad invicem se referentibus; seu, quod idem est, ut sint duo *subjecta relativa*.

Quum autem potestas una sit substantialiter, et per hujusmodi subjecta non distinguatur nisi relative, rursum atque necessario affirmandum est potestatem, sicut in utroque simul, sic etiam in alterutro subjectorum, totam et integram esse. Tunc omnis quaestio ad hoc solum tandem reducitur: ut unicuique terminorum relationis adsignetur suus proprius locus, et explicetur quomodo in unoquoque eorum tota illa eademque resideat potestas.

Jam vero in omni relatione quae est inter duos terminos, termini ita ad se referuntur: ut alter eorum sit primus, alter necessario secundus; ille teneat locum principii, hic autem locum termini proprie dicti.

Alio aliquo modo relatio terminorum nequidem cogitari potest, incipiendo inde a mathematicis artibus: ubi alia aliam unitas praecedit, aliud punctum consequitur aliud; usque ad psychologicas et theologicas scientias: ubi tandem sublimissima relationum omnium attingitur prototypa relatio, quae est in SS. Trinitate: in qua Pater (logice tantum, pro rei natura) concipitur prius quam Filius; Pater vero cum Filio prius quam Spiritus Sanctus. Relatio igitur omnis ita se habet profecto; et alio aliquo modo nequidem cogitari potest.

Ex quibus omnibus jure nunc meritoque colligere fas est, quod, si potestas ecclesiastica una eademque sit numero, quae in partes dividi non possit; si duo sint tamen hujus potestatis relativa subjecta, quae eam haudquaquam dividant: Papam et Episcoporum coetum; si inter relativa hujusmodi subjecta non possit alia esse relatio nisi ea quae intercedat inter primum et secundum, inter principium et terminum, jam omnino pateat: totam potestatem residere in Papa, et totam etiam in Episcoporum coetu; prius tamen in Papa, et tamquam in principio; secundo autem loco in Episcopis, et tamquam in termino; licet hic terminus intrinsecus potestatis fiat deinde ipsemet principium, in externa hujus potestatis relatione ad ejus terminum extrinsecum, qui est populus fidelis.

Hunc in modum sensus quaestionis quam solvendam assumpsimus, omni fere ex parte explanatus est; et nunc licitum erit nobis eamdem quaestionem iterum proponere, sed jam in ejus pleniori et integra significatione.

Quaestio ultima.

Num potestas ecclesiastica potest scindi in duas vel plures partes; an potius ex necessitate potestas haec ipso numero una est, et residet tota in Romano Pontifice et tota in Episcoporum coetu; attamen (quum unitas numerica potestatis, quae ejus substantiam signat, non excludat multiplicationem modorum in existendo), num necessario residet in Romano Pontifice et in Episcopis unico tantum modo, veluti in unico subjecto substantiali; an potius residet duplici modo, et veluti in duplici subjecto relativo; in Papa quidem tamquam in primo, id est tamquam in principio: proindeque (quum Papa sit persona) personaliter, et (quum sit primus) independenter, quamvis nullo modo separate; quod esset contra ipsam naturam relationis; denique (quum sit persona unica) residet in Papa et materialiter juxta et formaliter considerato; — in Episcoporum vero coetu residet tamquam in secundo subjecto relativo: proindeque (quum Episcopi non sint persona, sed collegium personarum) non personaliter in unoquoque tota, sed collective; et (quum veniant secundo loco) non independenter, sed dependenter; denique (quum non sint unica individua persona sed coetus personarum, ex quo aliquae deficere possunt) residet non in coetu Episcoporum materialiter simul et formaliter considerato, sed in coetu Episcoporum sumpto tantum formaliter?

Talis est quaestio. Quod hic addidimus de coetu Episcoporum formaliter considerato, non vacat ulterius nunc statim explicare; nam et plana res est, et uberrime ipsa disputatione explanabitur.

Talis igitur est tota et plena haec quaestio. Qua vero conclusione eam absolvemus, id vel innuere non est nunc opus; ea omnia namque quae exposuimus satis indicarunt in quam partem sententia nostra flectatur, et ubi arbitremur consistere rectum.

Rem ipsam aggrediamur.

SOLUTIO QUAESTIONIS.

Exordium ab hujusmodi principiis sumemus, quae certissima esse inter omnes constat. Hujusmodi prae primis existimamus esse sequens, in quo tamen quum sermo sit de substantia Ecclesiae, curae nobis prius esse debebit accurate enuntiasse: quid nomine *substantiae* Ecclesiae pressius intelligamus, maxime quod in disputationibus theologicis rarius hoc substantiae nomen Ecclesiae adaptetur.

Dubio igitur procul sua est Ecclesiae substantia, quum omnis res substantiam habeat suam; imo substantia ipsa nihil aliud significet ultimo, nisi rem per se existentem; rei autem nomine etiam moralia entia, qualis Ecclesia est, commode intelligi possint. De Ecclesiae tamen substantia disserentes, non omnino hac ultima et absoluta vocis significatione substantiam usurpamus; sed potissimum eo sensu, de quo S. Augustinus loquitur, dum dicit: « non aliter in sermone nostro *essentia* quam substantia solet intelligi (de Trin. VII, 4.). » Eodem ergo sensu substantiam quo et essentiam intelligimus.

Essentia porro communiter censetur: *id quo quid est;* unde etiam frequenter quidditas audit. Idem igitur erit et substantia; intima videlicet proprietas rei, seu etiam omnes ejus proprietates immutabiles, quae rem in suo proprio esse constituunt, et eam a ceteris distinguunt.

Attamen aliquod discrimen, usu saltem, inductum est inter essentiae et substantiae vocabula. Essentiae enim vox metaphysicam maxime, in ipsis metaphysicis, notionem refert; substantiae vero nomen, quamvis in metaphysica late obtineat, tamen physico rerum conceptui commodius aptatur.

Essentia Ecclesiae igitur erit nobis illa vita supernaturalis et divina, in gratia Dei utique consistens, qua Ecclesia dubio procul in suo proprio esse immutabiliter, et a ceteris distincta, constituitur.

Substantia vero Ecclesiae poterit optime a nobis intelligi haec ipsa vita in quantum consideratur re existens; id est: erit ipse coetus hominum qui hac vita vivunt, informatus iis omnibus proprietatibus quae essentiam Ecclesiae efficiunt; aut, quod idem est, erit ipsa Ecclesia ex essentia sua vivens.

Haec ad rem nostram sufficiant, et nunc jam tutius ponamus:

Principium primum.

Ecclesia, quantum ad substantiam, una est; quantum ad existentiam tamen, habet plures modos subsistendi.

Res est minime dubia. Quod enim substantia Ecclesiae una sit, in hanc veluti legem certissimam, adversarii juxta ac nos, sancte juramus. Quod vero ad plures ejus modos in subsistendo spectat, id etiam nullum facessit negotium.

Statim namque perspicimus modos subsistendi Ec-

clesiae duos saltem esse distinguendos omnino: alterum activum, passivum alterum; illum latissimo vocabulo nuncupare possumus producentem, hunc vero productum. Ad alterum refertur Papa, Episcopi et Clerus universus; ad alterum vero populus fidelis. Duo itaque sunt subsistendi modi; attamen in utroque eorum tota substantia Ecclesiae, id est; omnes eius proprietates, characteres, dotes; unitas, exempli causa, sanctitas, Catholicitas, Apostolicitas et si quae aliae, omnis, inquam, substantia aeque hic et illic invenitur; licet alio modo in pastoribus, nempe active; alio sine dubio in fidelibus, passive scilicet.

Haec omnia mire liquent ex notissimo loco Apostoli, ubi in primis substantiam Ecclesiae describit, quod sit: « unum corpus et unus spiritus (Eph. IV. 4,) » omnium qui Ecclesiam constituunt, quibus deinde sit: « unus Dominus; una fides, unum baptisma (i. e. » Sacramenta) » (ib. 5.) et quorum « unicuique data » sit gratia (ib. 7.). » Haec certe ipsa est substantia Ecclesiae: sed non minus evidentes sunt modi quibus eadem existit; namque: « Ipse dedit quosdam quidem » Apostolos, alios vero pastores et doctores (ib. 11.) » quos ordinavit: « ad consummationem *Sanctorum* » in opus *ministerii* (ib. 12). » Ex una igitur parte, sunt Apostoli et pastores, ex alia vero sunt omnes iidem sancti, id est fideles, qui hoc opus *ministerii* in se experiuntur: « donec occurramus *omnes* in uni» tatem fidei... in virum perfectum.... ut jam non » simus parvuli.... veritatem autem facientes in cha» ritate, crescamus per omnia in illo qui est caput » Christus (ib. 13, 14, 15,). » — Et unitas igitur

substantiae Ecclesiae affirmata est, et plures ejus modi distincti; hi duo nimirum: eorum qui ministrant, et eorum qui ministrantur.

Nihil ergo jam amplius desiderari potest sive ad unitatem substantiae Ecclesiae, sive ad hanc distinctionem modorum comprobandâm. Hoc unum tantum liceat nobis, pro rei gravitate, iterum, iterumque notare: nempe ea omnia quae substantiam Ecclesiae constituunt, eadem aeque et apud illos inveniri qui ministrant, et apud istos qui ministrantur. Sic, verbi causa, fides, quae maxime ad substantiam Ecclesiae spectat, immo vero et ipsa infallibilitas in fide, una eademque est apud utrosque, populusque fidelis non minus in ea infallibilis est quam omnes Episcopi et Papa. Tantummodo haec fides infallibilis penes Papam et Episcopos est per modum docentium, id est eorum qui ministrant; penes populum autem per modum eorum qui docentur, et qui ministrantur.

His explicatis possumus nunc sequentem hanc jure statuere Conclusionem.

Conclusio prima.

Modi quibus una eademque Ecclesiae substantia in existendo subsistit, duo in primis sunt relativi: quorum alter se habet tamquam principium, et vocari debet: POTESTAS; *alter vero se habet tamquam terminus illius prioris, et est subdita plebs fidelium.*

Postquam primo loco consideravimus substantiam Ecclesiae, secundo loco consideratum venit ipsa po-

testas in Ecclesia; de qua sicut prius in explanatione quaestionis innuere curavimus, ita hic affirmando asserimus haec duo: potestatem quidem in Ecclesia, si in se, et quasi essentialiter consideretur, unam omnino esse; attamen in existendo, et in exercitio suo, duos itidem habere modos relativos subsistendi.

Quum autem res ista perplexior sit, majoris claritatis gratia, duo dabimus de re una principia: aliud de unitate potestatis, aliud de modis quibus subsistit.

Principium secundum.

Potestas Ecclesiastica, in qua tota substantia Ecclesiae tamquam in suo principio, et quidem adaequato, subsistit, essentialiter una eademque est numero.

Hoc principium contra eos omnes hic adstruitur, qui potestatem Ecclesiasticam in duas partes incaute, ne dicam insane dividi posse existimant, et hoc facientes, ne suspicantur quidem quale facinus committant.

Asserimus itaque potestatem ecclesiasticam unam numero esse, neque eam dirumpi posse in partes.

Ratio potissima, quaeque sola una sufficit, est ipsa natura rei. Sic autem brevissime enuntiari potest: Una est substantia Ecclesiae, una etiam est in ea potestas.

Quid enim est potestas ecclesiastica? Est plane ipsa substantia Ecclesiae considerata tamquam principium adaequatum suimetipsius, cujus deinde principii terminus et complementum invenitur in reliqua

parte Ecclesiae, quae extra rationem potestatis consistit, eamque non participat, id est in plebe fideli.

Metaphysica forte haec definitio videbitur; sed bono suo est etiam et practica, et tanto pluris aestimanda, ut mox patebit.

Jam vero, si potestas ecclesiastica est ipsa Ecclesiae substantia considerata ut *principium:* quum in una substantia metaphysice repugnet plura dari principia ejusdem, consequens est id quod asseruimus: In Ecclesia, sicuti substantiam, ita etiam unum numero dari principium, id est potestatem. Res ipsa clamat.

Diximus practicam etiam esse definitionem nostram. Id paucis exemplis ostendere sufficiet.

De substantia Ecclesiae est, verbi gratia, character quem ajunt Catholicitatis. Jam vero Catholicitas veluti a suo fonte, a potestate manat. Sed fac sit in duo divisa potestas, quomodo Ecclesia catholica erit? Materialiter id forte poterit ad tempus, quamdiu utraque pars secum materialiter cohaerebit; sed formaliter et ad longum non poterit unquam, nisi statuatur potestatem non posse scindi in partes, quia est principium substantiae Ecclesiae, et quia unica est juxta atque haec substantia ipsa. Neque reponas: etiam cum duobus subjectis relativis id mali non magis evitari. Namque hic subjecta relative, et servato ordine, distinguuntur, non dividuntur; potestas autem ne attingitur quidem; — ibi vero potestas ipsa, tantum abest ut solum distinguatur, ut potius in duas partes vere dividatur, et omnino

rumpatur formaliter, antequam materialiter tandem quaquaversum disperdatur in frusta. Cum duobus igitur subjectis relativis salvatur unitas principii, et principium unitatis; eoque ipso salvatur Catholicitas Ecclesiae, et una simul substantia ejus; sed si potestas ipsa dividatur, quomodo omnia inconcussa manebunt?

Idem dic de Apostolicitate, idem de ceteris sive proprietatibus, sive dotibus, sive characteribus essentialibus Ecclesiae, quorum unitas, sicut et substantiae ipsius, sita est in unitate principii ejusdem substantiae, id est in unitate potestatis; hac autem ultima unitate sublata, illa etiam ruat, necesse est.

Quid tandem? Nonne verissima est definito nostra, et metaphysice simul et practice? Nonne in praxi etiam potestas principium est substantiae Ecclesiae? Et num nam hoc admisso, fas adhuc erit potestatem ecclesiasticam hic illic pro lubitu dispertire? An non potius contra ipsam naturam rei hoc facinus committitur?

Alio omnino modo Christus Dominus et intellexit et instituit rem.

Aliter sane intellexit. « Sicut tu me (ait ad Pa-
» trem) misisti in mundum, et ego mitto eos in
» mundum..... Ego in eis, et Tu in me, ut sint con-
» summati in unum, et cognoscat mundus quia Tu
» me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti
» (Joan. XVII, 18, 23.). »

De potestate loquitur, nam loquitur de missione, sive sua, sive Apostolorum. Potestatis autem signum

externum, tamquam verae hereditatis fidejussorem tutissimum, unitatem ejusdem potestatis mundo universo legavit. Adeo separari a se non possunt potestas et unitas ejusdem!

Ita intellexit et pronuntiavit Christus; at simul aperuit nobis et rationem intimam rei, causamque ejus necessariam. « Tu Pater in me, inquit, et Ego » in Te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat » mundus quia tu me misisti (ib. 21). » – Sicut Pater et Filius unum sunt principium et utrique una est potestas; sic et in his, quos Filius mittit, licet plura poterunt esse potestatis subjecta, una omnino erit potestas, nec ulli compositioni ex partibus obnoxia, nec divisionem unquam passura. Pater et Filius unum indivisumque sunt principium: et Petri cum Apostolis, Papae cum Episcopatu una omnimodis ac indivisa potestas erit, unumque erunt principium Ecclesiae.

— Aliter itaque intellexit Christus; sed aliter etiam et instituit rem. Nam si plures elegerat Apostolos, quos in solidum institueret participes ejusdem potestatis, elegit et unum etiam, speciali jure, quem potestatis constitueret centrum, et sic potestatis affirmaret unitatem. Hoc quidem non negant adversarii, et solum huic centro nolunt potestatem concedere ex toto. At in hoc vero et maxime falluntur, nam statim ac uni alicui specialiter dedit, totum ei dedit, quod dividi non poterat.

Volumus attamen hic supponere nondum probatam esse ex ipsa natura rei hanc potestatis unitatem inviolatam, et potius hoc est nobis modo pro-

positum ut ex ipsa institutione Christi hanc unitatem probemus. Omittamus igitur illam naturam rei, ne videamur ex probandis probanda deducere. Age dum, ex hoc solo quod Christus ipse per se Petrum unum elegerat, cui seorsum, et speciali modo, eamdem contulit potestatem quam et ceteris Apostolis, et ejusdem constituit centrum; ex hoc solo, inquam, videmur nobis videre validissimum deduci argumentum: potestatem hanc unam eamdemque numero esse. Attendant igitur, quaeso.

In potestate quavis essentiali centrum aliquod cogitatur, in quo totius potestatis ultima consistit sedes, quin et ultima ratio; ibique eminentiori modo tota potestas invenitur. Si igitur nos de ejusmodi potestatis centro rationes conferremus, quod secundum essentiam rei metaphysice tantum aestimaretur, diutius certe in discussione non moraremur; causa in primo limine jam judicata esset. At enim nos agimus de rebus quae moralem tantum essentiam praeseferunt, quales sunt societas, in eaque potestas. Num vero et istae eamdem naturam et legem sequuntur?

Praesumptio quidem magna oritur ex illis rationibus metaphysicis; ne tamen praesumptionibus stemus. Habemus certiorem regulam et rationem.

Inter societates itaque, necnon inter potestates quibus istae reguntur, duo sunt plane genera distinguenda: alterum genus illa est omnis societas, in qua potestas non est essentialis, sed arbitraria, itidemque potestatis centrum non essentiale, sed arbitrarium; alterum vero genus e contra, omnis illa societa sintelligitur, in qua et societatis potestas, et potestatis

centrum, non arbitraria sed essentialia sunt, in ipsa societatis natura nata et inserta; quae loco movere nefas est, et si ea moveas, ipsam societatem convellas, oportet. Ex qua sola ratione jam evidenter deducitur: quod si primum societatis genus ad metaphysicum rigorem exigi non possit; alterum tamen omnino ex metaphysica essentiae et ejus radicis notione dijudicandum intelligatur.

Hujus ultimi generis optimum exemplum familiam tenes; in qua potestatem naturaliter, proindeque essentialiter, constitutam videmus in Patre et in Matre, duobus rursum subjectis relativis unius ejusdemque potestatis. Quo in exemplo ad finem usque prosequi juvabit subjectorum mutuam ad sese relationem, huic nostrae omnino analogam. Nam si ex societate, quae familia est, utrumque parentem loco pellas, totam certe aufers potestatem; si vero ex potestate ipsa Patrem solum removeri curas, tum profecto potestati ipsum subtrahis centrum. Et quum utrumque naturale et essentiale sit: neque pro pulsa integra potestate aliam poteris substituere similem potestatem, neque pro centro potestatis semel ejecto aliud tale centrum. Naturae enim immutabiles sunt, et ad arbitrium non confinguntur.

Alia longe res est cum illis societatibus, quae quomodocumque panguntur ad arbitrium, et ubi nulla est, neque potestas, neque centrum potestatis, naturale et essentiale. Ibi semper quidquid audendi integrum manebit arbitrium. Nam si aliqua hujusmodi societas: Litteratorum puta, aut mercatorum, aut alia id genus, et Praefectum aliquem, et aliquod

habeat Consilium, penes quos sit potestas; mutari hi equidem possunt. et alii aliis sine negotio subrogari.

Sunt qui velint, hacque nostra tempestate vehementer contendant, hujus ejusdem farinae universam esse societatem humanam. Penes istos prima ratio societatis humanae arbitrium est primorum contrahentium; neque ipsis ulla est apud genus humanum, aut apud singulas gentes, potestatis nativa sedes, aut in ipsa potestate naturale et inviolatum centrum.

Rem istam sequenti libro pressius aliquantulum attingere in animo habemus; nunc tamen quidquid sit de hac societatis ratione, probane sit, an iniqua? hoc nihilominus omnibus nobis compertum est, et nobis scilicet et adversariis nostris: Ecclesiam hujusmodi non esse, neque ullo modo esse potuisse; immo vero: Ecclesiam talem esse societatem cui est naturalis potestas, id est a Deo creata; naturale etiam et essentiale ejusdem centrum. Et ita ad rem nostram regredimur.

Inter duo igitur illa societatum genera, Ecclesia omni dubio procul ad primum genus pertinet, adversariis ultro consentientibus. At nihilo minus, iidem ipsi, quantum ad centrum potestatis spectat, vehementer falluntur: et hoc centrum verbis quidem essentiale faciunt, re tamen vera minime gentium.

Ex exemplo familiae quod adduximus, tenere jam possunt adversarii veram imaginem illius centri quod naturale et essentiale est, et quod ita potestati in societate aliqua est proprium, ut ex ea

auferri non possit, neque in aliud mutari. Totius enim potestatis radix est, et quia essentialis et naturalis, ideo etiam et unica et immutabilis.

Atqui illud centrum Ecclesiasticae potestatis, quod adversarii nostri construunt (Papa ille, inquam, quem ipsi fingunt), non est tale centrum quod non possit auferri vel in aliud mutari (id est deponi et subrogari ab alio), neque tale ut in eo tota potestas eminenter tamquam in radice contineatur. Consequens igitur est ex adversariorum sententia: Papam non esse, re et veritate, essentiale centrum; etiamsi nomine essentiale ab adversariis renuntietur.

Hic jure merito sciscitari possumus ex ipsis: quo consilio, quave providentia, id sibi permittant, vel quo effugio ab inconsequentiae crimine sese liberent? Potestatem namque ecclesiasticam generatim sumptam (id est Papam una cum Episcopis), in ejus relatione ad totam substantiam Ecclesiae loco suo non movent; et quod illae gentiles theoriae audent, id sibi nefas putant: ut potestatem a plebe dependere jubeant, seu ut eam e centro ad peripheriam traducant; immo vero potestati in substantia Ecclesiae centralem, immutabilem, et vere essentialem locum assignant. At nihilo tamen secius, quum de potestatis ipsius centro sententiam ferunt, aliam omnino rationem sequuntur; et tales casus fingunt, quos in illa, quam prius sequebantur ratione, horrendos profecto ipsimet duxissent; nempe casus, ubi centrum potestatis jus suum peripheriae ejus cedat, ab ejus suffragiis dependeat, et (nefandum aliquid dicam, vos me cogitis!) in aliud mutari possit! Nimi-

rum, ac si illud quod essentialiter, et re, et persona, centrum erat; posset ita pro lubitu mutari et transferri in aliud centrum, re etiam, et non solo nomine, in personam veram, et non in larvam! Ac si essentia ipsa Ecclesiae ejusque potestatis, divinae essentiae particeps, ita flocci pendenda esset ut quae in ea non placuissent, rejici possent inter scoria! Et oppido scire vellem quid fecissent: si plebs fidelis eadem lege cum ipsis ageret aliquando, qua ipsi cum suo centro agere non cunctantur?

Huic porro rei, huic inquam ipsi, obviam ivit Christus in institutione qua jussit Ecclesiasticae potestatis centrum. Eum enim in modum tale centrum creavit, ut non possit non omni ex parte naturale et essentiale dici. Et hoc est plane argumentum quod superius visi sumus nobis videre.

Caput rei in hoc consistit: Christum ipsum per se, divina sua auctoritate et divino decreto, immo integra serie decretorum, unam specialem personam, nempe personam Petri, idque in perpetuum, jussisse ecclesiasticae potestatis centrum; et, quod summopere attendendum est, eum in modum jussisse, ut eidem adtribuerit directe et personaliter omnem illam, quam ceteris in solidum tantum dederat potestatem. Jam examinavimus duplicem seriem decretorum quibus hic Petro, ibi Apostolis potestas haec collata fuerat a Christo, et probe mente tenemus, non solum non intercedere discrimen ullum in his et illis verbis decretoriis; sed potius, si quod est ullum, in gratiam Petri discrimen esse.

Porro id animadvertatur quaeso: Christum po-

tuisse alio modo Petrum caput et centrum omnium renuntiare; puta, si non de essentiali capite et naturali centro instituendo ageretur, poterat electionem et institutionem Apostolis committere; aut etiam, si demum per se ipse facere vellet, poterat Petrum vel primum inter ceteros dicere, vel talem qui aliis praesideret, et cui ceteri honorem et obedientiam exhiberent, vel similia id genus; ubi verbis forte magis aliquid visus fuisset dixisse, re tamen vera mirum quantum minus; nec quidquam essentiale personaliter Petro contulisset. Nam primus, et praeses, et cui omnes obediant, in omni societate, etiam arbitraria, praesto esse debent; neque exinde aliquid personaliter essentiale illis omnibus, qui tales sunt, necessario conceditur. Primum enim esse, et praesidem, et sic porro, haec accidentalia sunt omnia: a societate pendere possunt, a societate conferri, ab eademque abrogari. Sed vero potestatem ipsam, eamque plenissimam, personaliter sibi collatam habere: potestatem docendi, leges ferendi, judicandi, regendi, sine ulla restrictione, ita directe et independenter, sibi, inquam, personaliter collatam; hoc immane quantum ab illo priori genere distat, et jam non accidentale, sed omnino substantiale esse, et personae illi naturale et essentiale, quam quod maxime intelligitur. Habet enim tunc ex seipsa persona illa, et non ab aliis, omnia quae essentiam potestatis efficiunt.

Jam vero hoc altero modo, id est potestatem ipsam, eamque integram et summam, directe et personaliter conferendo, Christus instituit Petrum Ec-

clesiae caput. et ecclesiasticae potestatis centrum. Persona igitur Petri essentialiter instituta est a Christo caput Ecclesiae, essentialiter tenet omnem in ea potestatem, et ex se ipsa, id est, directe ex institutione divina, persona haec Petri, essentialiter quidem et naturaliter, centrum est ejusdem potestatis.

Quae quum ita necessario se habeant, primum quod inde sequitur hoc profecto est: personam Petri vel Papae, ipso non consentiente, aliam pro alia substitui non posse. Persona haec enim ipsa essentialis est, proindeque quandiu aliquis hanc personam sustinet, ipse est haec essentialis et naturalis persona Papae, quae uti talis, nec removeri, nec mutari potest. Si consentit, ipse jura sua alteri cedit, et hoc cum rei essentia non pugnat; sin vero minus, nemo alter jurium, quae essentialiter et naturaliter alteri manent, umquam potiri potest. Quomodo enim id fieret, si personae huic inhaerent independenter a ceteris quibusque, ab hac sola dependenter una? Alioqui non essent naturalia; sunt autem ex institutione divina. Qua in re illi viderint, quomodo secum constent, qui et essentialem ajunt personam Papae in Ecclesia, et tamquam accidentalem, hanc vel illam, in aliam permutare integrum sibi esse existimant! Sed haec ex limine.

Alterum vero quod inde sequitur, et quod nostra maxime refert, id ipsum est quod praetendebamus: ex eo nimirum quod Christus centrum naturale et essentiale potestatis in Ecclesia instituerat, oppido sequi potestatem hanc unam eamdemque numero esse. Si accidentale forte centrum instituisset, eorum uni

simile de queis antea loquebamur, potestas sine negotio hinc inde dispertiri potuisset; ex centro enim non essentiali potestas non necessario, neque tota pendet. Nunc autem potestatis centrum essentiale instituit; ex tali vero centro essentiali, indeficienti, immutabili potestas etiam essentialiter, necessario, immutabiliter pendet, et tota, quanta est, pendet; immo vero unum idemque est cum centro ipso. Itaque quum a Christo tale centrum essentiale et unicum institutum fuerit, et potestas una eademque numero sit, necesse est.

Causam itaque obtinuimus, et uti patet sine circulo vitioso: ex hoc facto solo videlicet, quod Christus Petrum essentiale et naturale potestatis centrum instituerat, potestatem hanc necessario unam eamdemque numero esse, jure deduximus.

Nunc tamen et id alterum optimo jure asserere possumus: ideo Christum hujusmodi essentiale centrum instituisse unicum, quia haec potestas tale centrum requirebat, quippe quae, essentialiter, una eademque numero, et individua est, et talis semper permanere debebat. Illa fuit res facti, haec autem ratio est rei. Rem utique praecessit ratio; et Christus sine dubio prius rationem respexit, postea factum instituit. Nobis autem primum obversatur factum, dehinc assequimur et rationem ipsam. Haec autem ratio est utique illa veritas, quam loco principii posuimus initio: potestatem nempe ecclesiasticam, quae est totius substantiae Ecclesiae adaequatum principium, unam eamdemque numero esse.

Verum enim vero plus etiam exinde nobis inferre

contigit; intelleximus namque ecclesiasticam potestatem ex divina institutione centrum suum habere, sicut et ipsa, essentiale, in eoque consistere; ita ut ex divina institutione, sicut totius substantiae Ecclesiae principium adaequatum est potestas, ita ipsius potestatis adaequatum principium sit illud ipsum centrum. Nam si est essentiale postestatis centrum, est etiam et adaequatum principium.

Hanc conclusionem maximi ponderis esse nemo non videt. Imprimis enim, statim atque ex Christi institutione potestas ecclesiastica in tali centro collocata est, quod est essentiale, jam res ipsa metaphysicam induit naturam, eam nempe de qua ex essentia rerum judicatur, et ipsa etiam conclusio participat quodam modo metaphysicam certitudinem. Deinde vero conclusio haec uberrimus fons est ex quo cetera manant. Habeat igitur suum locum:

Conclusio secunda.

Potestas ecclesiastica, quod est substantiae Ecclesiae adaequatum principium, ideo est una eademque numero, quia habet suum essentiale et immutabile unum centrum, id est Papam, quod rursum ipsius potestatis ecclesiasticae adaequatum est principium.

Alterum hoc principium, hancque ejus conclusionem, ex ipsa rei natura eruere curavimus. Ubi data hac occasione quod de natura rei loquamur, unum animadvertere hic semel, officii quodammodo

ducimus loco. Quum tamen res non parvi sit momenti, eam veluti distincto capite, hac seorsum posita Animadversione, explicare curae nobis erit.

Animadversio

de argumento quod ex natura rei petitur.

Probabile omnino. immo certum videtur: quum potius ex natura rei. quam ex testimoniis et auctoritatibus veritatem evincimus, multo satius nos agere, quam si aliter ageremus, et in hac disputatione magis ad propositum. Et sane, testimoniis et auctoritatibus jam omni ex parte satis superque disputatum et pugnatum est; quid, quod saepe tam ancipiti marte? Etenim crebro accidit unum idemque testimonium, eamdemque auctoritatem, in utramque partem distractam videre, et cuinam potius adjudicanda sit non admodum liquere; non, quod causa ipsa dubia sit, si integra spectetur; sed quod horum argumentorum vis et pondus hic et nunc non satis appareat. Id autem non aliunde repetendum videtur, nisi maxime ex eo: quod ipsa natura rei in his disputationibus minus attendatur, aut etiam negligatur omnino. Hanc ergo naturam rei adeo posthabitam conquerimur.

Verum quidem est, et axiomatis loco habendum, in omni quaestione dogmatica auctoritatibus et testimoniis causam esse dijudicandam. At non minus certum est: non semper simile, et saepe varium esse dogmatum et testimoniorum genus. In hac autem quaestione praesertim, aut vehementer fallimur, aut

certum est et experientia probatum: testimonia Patrum, maxime vero priorum seculorum, nonnullis exceptis, si singillatim sumantur, magna ex parte id dicere, quod quis velit. Quum enim causa ista de natura potestatis ecclesiasticae ex professo et doctrinaliter, ut ita dicam, vix aut nullo modo tunc temporis ageretur; maxime vero quum haec quaestio pressior, de mutua relatione Summi Pontificis cum reliquo Episcopatu, numquam illo, de quo ajebam, doctrinali modo, tum ventilata esset, sicuti quaestiones quae ad cetera dogmata spectant; et nisi rebus gestis, pro data occasione, quodnam causae hoc genus esset probaretur; factum est: ut testimonia Patrum, quae rem hanc exactius et ita doctrinaliter ex professo pertractent, pauca, quin mirum sit, inveniantur. Hoc potius mirandum est quod, etiamsi in se tam pauca, tam multa tamen, pro iis rerum adjunctis, atque tam vehementer probantia, consignata fuerint. Attamen ingenue fatemur: multo plura numero esse, quae satis ambigua prima specie comparent.

Haec varietas in hujus et aliorum dogmatum conditione, necnon consequenter et in testimoniorum natura, deberet utique in hac disputatione pro trutina servire, qua discretius, et non ut fit tumultuario modo, omnia pensarentur. In hujusmodi enim rerum conditione, si aequi ac justi esse velimus, non nos ambigua testimonia morabuntur, sed ea sola quae plenam probandi vim habent, et movebunt nos, et convincent. Hoc solum aequum est, hoc unum justum.

Adversarii autem quid agunt? Viginti, triginta,

aut etiam quadraginta congerunt testimonia ambigua, uti verbi gratia illa quibus petra in Evangelio pro fide, quam Petrus confessus est, sumitur et declaratur, aut his similia; et jam causam conclamasse putant. Re tamen verissima ne unum lapidem contra eam moverunt.

Sed propius ad propositum nostrum accedamus. Aimus itaque: omnia testimonia hujusmodi, quae ancipiti lance versantur, et in utramque partem flecti possunt, ex ea quam naturam rei dicimus, dijudicanda esse. Ideo naturam rei ante omnia perspectam habere officii ducimus loco. Ipsi hi nostri de hoc officio nos monent. Cur enim sic temere agunt? Quia cum praejudicata sententia ad judicium accedunt, quae sententia non alia est nisi de ipsa natura rei praepropera et ad libitum conficta opinio. Hinc fit, ut animus minime liber et maxime praeoccupatus, testimonia, quae sibi minus placent, esto sint luculentissima, aut omnino negligat, aut etiam per vim alio trahat; testimonia vero illa quae majori numero occurrunt, et quae sunt nutantia, omnia extemplo credat ad rem suam praeclare facere, et nihil videat in eis nisi placitum suum; de hoc uno laetatus, quod tam magno sint numero. Causa totius mali, illa de natura rei falsa et praecedens opinio. Suo itaque exemplo nos docent isti, quanti referat veram naturam rei ab initio perspectam habere; simulque officii loco hanc nobis curam imponunt.

Possunt quidem nobis regerere: ex testimoniis esse veram rei naturam eruendam, non vero judicanda testimonia ex natura rei antea utcumque con-

ficta; et nos eodem, quod ipsis vitio vertimus, crimine laborare. At oppido falluntur. Nos enim non asserimus opinionem de natura rei quomodocumque compingendam esse, eamque omnia omnino testimonia antevertere debere. Immo vero, si aliquam de natura rei antecedentem notitiam exquirimus, eam omnino volumus testimoniis probatissimis innixam, auctoritatibusque certissimis firmatam. At certissimas probatissimasque requirimus, non vero dubium illud et ambiguum genus. Hujusmodi haud dubiae auctoritates sunt ipsa eloqnia Christi, in eorum obvio, pleno, genuino sensu; sunt deinde ex Traditione illa testimonia, quae ex professo rem exponunt, praesertim vero sunt res gestae, quae jus affirment, et dent testimonium juris et facti. Haec certe requiruntur ad veram opinionem de natura rei efformandam; dicimus tamen non sufficere. Nam ex alia parte requiritur etiam ut ponderentur omnia illa rerum momenta, quae rei, de qua agitur naturaliter conveniunt; puta, quum hic de societate sermo sit, requiritur ut inter rationes referantur ipsa elementa constituentia societatis, et elementa istiusmodi inter potissima rei momenta computentur. Qua de re longior sine dubio excurreret sermo, si plenus deberet esse; nos tamen breviter, quantum sufficere videbitur, innuere curabimus.

Sunt ne igitur aliqua momenta quae ad constitutionem Ecclesiae spectant, et quae aliunde nosci queunt quam ex testimoniis et auctoritatibus? Sunt, et maxime vero, statim ac Ecclesia supponitur esse societas.

Ecclesiam societatem esse, supponere possum et debeo ex auctoritatibus utique, sed sic prima specie et generatim adspectis. Attamen, statim ac Ecclesia societas supponitur, illico quae societatis sunt momenta essentialia, eadem erunt et Ecclesiae; alioqui Ecclesia societas non esset; est enim. Res ipsa loquitur. Quapropter si inter auctoritates et testimonia, nonnulla ejusmodi offendero, quae duplicem sensum praeseferre videantur: alterum, qui rationibus societatis consonet; alterum, qui aliquod elementum essentiale, ad rationem societatis pertinens, ex aliqua parte subruat; quis dubitare poterit de officio: illum priorem sensum praeferendi omnino, huic autem alteri remittendi nuntium? Ideoque multo magis, si tale testimonium nactus fuero, quod plenam rationem societatis affirmet, non solum nihil ei detraham oportebit, sed vero potius illud maxime pro vero, genuino, fixo, firmoque teneam, necesse est.

Similiter etiam quando in Ecclesia supponitur potestas. Potestatem sic in genere supponere possum ex omnibus testimoniis, simul sumptis et generatim consideratis. Sed quum semel potestas in Ecclesia supponitur, jam hoc elementum potestatis habet sua momenta essentialia, quae ex suà parte, et pro se ipsis, concurrunt ad integram naturam rei nobis repraesentandam, et quae ad calculos ex necessitate vocari debent. Fieri enim nequit ut si potestas in Ecclesia est, aliquid in ea desideretur quod eidem sit essentiale; esset enim et non esset. Quapropter si deinde descendero ad auctoritates et testimonia singillatim expendenda: omne testimonium quod potestatem instituit,

firmat, extollit, et hoc solum, pro rato, certo, et concludenti tenebo, eique conservabo omnem vim probandi qua pollet; omne vero testimonium quod anceps videtur et ad pejorem partem flecti potest, sine haesitatione ad illam normam exigam, quam mihi illa praebent haud dubia testimonia, quibuscum consonat ipsa natura rei; atque illico ex tali bicipiti testimonio illam partem excludam, quae potestati adversa videtur. Uno alterove exemplo rem probabiliorem reddidisse juvabit.

Quis nescit multos Protestantes, desperato perfugio, Ecclesiam invisibilem conclamasse, ita ut Catholicis Theologis munus incumbat hanc proprietatem, quod visibilis sit, Ecclesiae vindicare? Quomodo autem id faciunt? Nae, simplicissimo modo: ex ipsa scilicet natura rei. Testimonia vel perpauca, cui namque bono? vel nulla afferunt; naturam vero rei immensa mole objiciunt. Et recte quidem; neque facile est pronuntiare, an in aliqua alia causa Protestantes tam ingenti, quanto hic, rationum pondere opprimantur?

Alterum exemplum potest esse haec ipsa causa nostra. Ecclesia societas est: id nemini dubium. In societate potestas sit, oportet: quis de hoc etiam dubitabit? At dubium movent Protestantes. Negant eos qui in Ecclesia Pastores creduntur, aliquam auctoritatem habere; litteram Bibliorum, Spiritum, Rationem appellant. Quomodo tandem convincuntur? Non certe Bibliis, neve Spiritu, neve Ratione; nam de his ipsis prius constare debet, quae sint genuina Biblia, qui rectus spiritus, quae tandem probata ratio?

Convincuntur itaque ex natura rei, quae omnino jubet ut in Ecclesia, quae est societas cui est concredita revelatio divina, sit etiam auctoritas, hujus revelationis custos et interpres; et quae sola deinde ex officio decernat: quaenam sint revelationis vera instrumenta (Biblia scilicet), et quaenam germana eorum significatio. Ad quam naturam rei dum accedit res facti, id est ipsa existentia hujusmodi auctoritatis sese affirmantis, causa judicata est; et Protestantes, non certe ex testimoniis, quibus rationaliter, nisi prius credant auctoritati, credere nullatenus possunt; sed ex ipsa et sola natura rei, convincuntur magis quam facto opus esset.

Simillimum huic exemplo est hoc nostrum cum adversariis, moderatioribus certe, nihilo tamen minus pro sua parte extra naturam rei vagantibus. Ipsi vehementer quidem affirmant potestatem in Ecclesia: et optime faciunt; dant etiam huic potestati centrum divinitus institutum: et hoc non minus recte; negant tamen totam quanta est potestatem, modo illo essentiali quem exposuimus, in hoc centro residere; sed hoc tandem quo jure? Etenim cum rei natura, quam quod maxime, pugnat. Itaque, ni oppido fallimur, si hoc unum advertant, jam nobis concedere debent nostram cum ipsis causam non tam ex testimoniis, sicut nec ipsi cum Protestantibus faciunt, sed potissimum ex natura rei agendam, obtinendamque esse. Concedant igitur; sin minus, eodem modo quo Protestantes, et de re eadem periclitantur.

Protestantes etenim habent etiam sua testimonia, immo series integras testimoniorum, systemata ex te-

stimoniis contexta. Possemus utique, ex nostra parte, testimonia testimoniis opponere, systemata systematibus; eccur non facimus? Non tam ideo, quia res longa esset, sed maxime quia inutilis. Quin immo esset inconcinna etiam; nam ex adverso logicam offenderet. Qualia etenim possunt illa Protestantium testimonia esse, aut quanti valere possunt, si cum rei natura pugnant? Porro hoc idem prorsus cum nostris accideret adversariis. Habent sua testimonia, nos nostra habemus. Si ipsi sua potiora existimant, nostrorum non pauci melius quam aestimatione, re enim et exemplo probaverunt nostra testimonia multo potiora esse. Age tamen, sint paria, et hactenus incerto exitu disputatum sit testimoniis. Quid, quod vel ipsa haec disputatio inutilis erat? Inutilem autem dico, non quia non multum lucis attulerit, aut ad dogma explanandum contulerit parum; sed quia tandem veluti ad ultimam rationem, ad naturam rei ex necessitate confugiendum est. Nam quae testimonia stare poterunt, quae non cadere, si cum rei natura non constant? Ultima igitur ratio, hac in causa ex rei natura repetenda est, et est haec profecto: illa testimonia quae specie tenus rei naturae adversari videntur, aut potius illum sensum testimoniorum qui infensus videtur, rejiciendum esse omnino; illum vero sensum ex testimoniis ambiguis, et illa haud dubia testimonia plena, quae rei naturae paria pari respondent, sola retinenda.

Hic finem imponimus huic *Animadversioni*, id ex ea emolumenti obtinuisse rati, quod causam ostenderimus, cur non tam testimoniis, quam naturae

rei explanandae et comprobandae potissimum insistamus.

Exponebamus itaque imprimis naturam ipsius Ecclesiae, et ostendimus

1°. Eam quantum ad substantiam unam esse:

2°. In sua tamen existentia duos habere modos subsistendi: alterum ad instar *principii*, quae est potestas, alterum ad instar *termini*, quae est plebs fidelium.

Exponebamus deinde naturam hujus potestatis ecclesiasticae, et demonstravimus:

1°. Hanc potestatem, quod principium adaequatum est substantiae Ecclesiae, essentialiter unam eamdemque esse numero;

2°. Atque ideo unam, quia habet unum etiam et essentiale suum centrum, qui est Papa.

Ab hac ultima conclusione pronum est gradum facere ad aliud principium, quod ulterius naturam potestatis ecclesiasticae demonstret, et quod antea innuere curavimus dum dicebamus: potestatem ecclesiasticam unam in se essentialiter, in existendo tamen duos habere modos relativos subsistendi. Unum ex istis jam veluti manu tetigimus, Papam videlicet; sed utrumque nunc uno conspectu in mutua secum relatione consideremus, oportet. Sit itaque:

Principium tertium.

Potestas Ecclesiastica, quae essentialiter una numero est, in existendo tamen duos habet modos

relativos subsistendi, seu duo relativa subjecta: Papam, quod principium est interius, ipsius, et Episcopatum, id est coetum omnium Episcoporum Catholicorum, qui ejusdem potestatis interior est terminus.

Sicut substantia Ecclesiae prius subsistit tamquam principium, deinde tamquam terminus suimetipsius, et hunc in modum nanciscitur plenum suum actum existendi; sic etiam et potestas ecclesiastica, ut suum habeat plenum existendi actum, primum subsistit uti centrum et principium, tum vero uti terminus suimetipsius.

Utrumque porro: et principium et terminum, interiorem diximus; quod notasse juvat. Intimi enim sunt ipsi veluti essentiae potestatis, id est: quod utrique hi termini aeque requirantur ut potestas in suo esse constituatur, et potestas ecclesiastica non esset qualis ex essentia sua debet esse, non solum admissis Episcopis omnibus, sed sine Papa; verum etiam et Papa constituto, sed sine Episcopis. Esset tum enim principium sine suo termino, et philosophice loquendo: esset potentia sine suo actu; quod et philosophice, et practice, existentiam non constituit.

Deinde terminum potestatis (scilicet Episcopatum) ob aliam etiam causam diximus interiorem. Ipse enim in potestate tantum et in ejus intima ratione terminus est; in Ecclesia tamen, et in potestatis ratione exteriori, in quantum potestas principium est totius substantiae Ecclesiae, et ipse quam maxime,

non terminus, sed principium probatur. Intrinsecus itaque, in ipsa potestate, terminus est; extra potestatem tamen, in substantia Ecclesiae, et ipse principium.

Quibus dictis, jam accuratius expendamus quomodo, et Papa, et Episcopatus, intelligendi sint uti distincta potestatis ecclesiasticae relativa subjecta. Ubi duo praestare debemus: primo quidem accuratius repraesentare in quo consistat notio subjecti relativi, tum vero diligenter probare: necessario admittenda esse haec duo relativa subjecta in potestate Ecclesiastica.

Jam diximus in explanatione quaestionis: Subjectum potestatis, in genere, esse sive personam, sive personarum coetum, quam, vel quas penes, potestatis est jus. Si hujusmodi persona una sola existit, subjectum potestatis non est relativum, sed absolutum; cujus rei exemplum ille quivis est monarcha, qui cum nemine jura sua communicat; cujusmodi erant verbi gratia primi Romanorum reges. Absolutum est etiam, et non relativum, potestatis subjectum, ille, non jam monarcha; sed sive senatus, sive populus universus, sive quivis hominum coetus, qui potestatem in solidum tenent, ita ut a nemine potestas integra participetur; sed omnis causa potestatis vel ex suffragiorum majori numero, vel ex unanimi consensu constituatur; qui Athenis exempli gratia mos erat, et rebus publicis passim. Hoc etiam, inquam absolutum est potestatis subjectum.

Quod si nunc velimus in historia imaginem aliquam potestatis invenire, quae a duobus relativis subjectis, non in solidum, sed ab unoquoque seorsum, licet

relative at integra teneretur; nescio an ubicumque gentium in aliquid simile offendere potuissemus, nisi nobis statim sub manu esset singulare omnino et praeclarum hujus rei exemplum in Consulibus Romanis. Nullibi terrarum, quod sciam, visum fuit id genus rei. Nam et Suffetes Carthaginensium, et Reges seu Archegetae Lacedaemoniorum, et si qui alii Duumviri rebuspublicis gubernandis praepositi umquam fuerunt; potestatem in solidum tenebant, non unusquisque proprio jure plenam et integram. Hoc nobilissimum regiminis prodigium Roma ferme sola, Romanique Consules, mundo exhibuerunt. Romanus namque Consul, tametsi annuus, verus tamen rex erat, regiamque potestatem non in solidum cum collega, sed pro se unusquilibet et integram exercebat; unus statuere poterat quidquid vellet, et quod ita constituerat ratum erat fixumque, nisi quum alter collega contrarium constituisset. Sed ne tunc quidem senatus populusve appellabatur; alienum erat a romana sapientia ut crederet, a suprema potestate aliquid superius appellari posse; sed si forte consules duo decreta contraria edidissent, quum, quantum unum tantum valeret et alterum, hujusmodi decreta, pro suprema qua pollebant auctoritate, sese invicem tollebant; sic ubi malum, ibi etiam erat et remedium (1). Certe, exemplum relativorum subjectorum unius ejusdemque potestatis, si quod datur in historia ullum, hoc apparet praeclarissimum.

(1) Erudite ac plenissime hanc rem prae ceteris illustrat cl. Mommsen in sua: Römische Geschichte, lib. II. cap. 1. paragrapho de consulari potestate.

Providentiam divinam in re tanta non possumus non suspicari et non suspicere. Quum enim Romanum Imperium mole sua a longe adumbraret illud magnificentius omnino, multoque sanctius Imperium, quae Romana Ecclesia futura erat; nihil indignum fuit divina Providentia, ut regiminis etiam umbram in illo Imperio non absimilem delineasset. Umbra tamen erat; atque rem et veritatem duplici ex capite non aequiparabat: primum, quia deerat illi consulari potestati ratio hierarchiae, illius nempe de qua supra monebamus, intimae relationis inter principium et terminum; tum vero quia ex natura sua negative quidem maximi valebat, id est ut sese tolleret, si opus fuisset; positive autem nihili, nisi accidentaliter: namque non erat ita constituta, ut duo suprema et relativa illius potestatis subjecta, ad bonum agendum, vi ipsa et necessitate naturae in unum conspirarent. Umbra igitur, quantumvis praeclara!

Qua in re, dum semel Providentiae vestigia legere coepimus, et hanc aliam Ejus miram ordinationem silentio praeterire non possumus, qua factum est: ut quando Romae Petrus conderet Apostolatus Principatum, ad latus ei adjunctus esset et magnus ille Coapostolus Paulus. In re tanti momenti non solum nihil casu accidisse temere sciscendum est; sed omnino sancteque credendum non sine altissima, mystica et intima rei ratione, Deo omnino digna, id genus facti Deum operatum esse. Quae autem fuit haec ratio? Nonne videtur revera apparere, si admittamus: Coapostolum Paulum, pro illa primaeva Ecclesiae conditione, repraesentasse in se uno inte-

grum illud relativum potestatis Ecclesiasticae alterum subjectum, qui est Episcopatus? Atque sic factum intelligitur: in primis illis incunabulis Ecclesiae, integram ejus potestatem, et actualiter jure proprio in Petro, et virtualiter jure relativo in Paulo, totam simul officio suo semper functam esse, ut eo melius fundaretur Ecclesia, et futuri ac perpetui regiminis forma, statim ab initio, actu evidenti adumbraretur. Hoc autem primo stadio emenso, mortuis una simul primis sacris Consulibus, tum demum ad ordinarium et consuetum existendi et vivendi modum potestas ecclesiastica transivit. Hac ratione et Petri ordinaria et plena auctoritas nihil ex Pauli consortio minuitur, et Pauli tamen extraordinaria et relativa auctoritas ex integra causa affirmatur et probabilis efficitur.

Quin etiam et ratio inde vera intimaque apparere videtur, cur Pontifices Romani, in sollennibus constitutionibus edendis, utrorumque Apostolorum auctoritatem appellant, atque etiam illa formula utantur insigni et amplissima, dum dicunt: *Auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra* (1). His verbis profecto et Paulo plenissimam auctoritatem tribuunt, ac veluti aequalem Petro, et Petri auctoritatem quin minuant, extollunt potius; et deinde utramque sibi ipsis pro-

(1) Hac sane formula usus est novissime Summus Pontifex Pius IX in bulla dogmatica, qua definivit Beatissimae Virginis Immaculatam Conceptionem. Et merito quidem. Decet enim ut quo sollennius est decretum, et ex pleniori procedit Ecclesiae totius auctoritate, eo sollenniori etiam et ampliori sanciatur formula.

priam esse affirmant. Quae omnia optime secum cohaerent, et illo quem innuimus modo egregie explicantur: tum enim Petri auctoritas radicalis illa intelligitur et plenissima, quae est totius ecclesiasticae potestatis principium; Pauli etiam plenissima illa, sed relativa, totius Episcopatus auctoritas spectatur; quae tandem utraque auctoritas una omnino eademque intelligitur potestas Domini Nostri Jesu Christi, ejusque Ecclesiae.

Et quia Romani Pontifices, in sollennibus Constitutionibus edendis, ex totius Ecclesiae auctoritate agunt, ideo utramque suam esse pronuntiant. Ita divina Providentia sapientissime cautum est, ut, vel in formula promulgationis illorum decretorum quae plena auctoritate Ecclesiae sanciuntur, etiam integra potestas Ecclesiae ipsa formula praeclare affirmetur.

Haec pauca quae nunc diximus eo fine dicta sunt, ut exemplis etiam illustretur quonam sensu intelligi debeant unius ejusdemque potestatis duo relativa subjecta. Nunc probamus ita verissime rem se habere in Ecclesia.

*

Potissima ratio quae suadet non unum absolutum, sed duo relativa potestatis subjecta in Ecclesia admitti debere, fundatur in illa causa facti, quae superius exposita fuit. Si Apostoli quidem potestatem acceperunt, Petrus constitutus fuit a Christo Domino essentiale centrum ejusdem potestatis. Atqui primo quidem: in centro essentiali invenitur necessario tota ratio rei, et ut hic, tota ratio potestatis; deinde vero centrum, ex natura sua, quum sit centrum, non

potest non esse subjectum; tum denique, ex natura etiam sua, centrum quod est subjectum, quum non possit cum alio communicare suam peculiarem rationem centri, neque potest communicare suam peculiarem rationem subjecti. Consequitur itaque: centrum peculiari quadam ratione subjectum esse. Inde autem statim etiam sequitur, omne aliud quod ad subjectùm pertinet (alius autem hic est Episcopatus), non eadem, sed alia ratione subjectum esse. Duo igitur erunt subjecta relativa.

Primum evidens est. Quis namque de hoc vel subdubitaverit umquam: in centro essentiali inveniri veluti eminenter totam essentiam rei? Jam vero Petrum, seu Papam fuisse a Christo centrum essentiale potestatis ecclesiasticae creatum, et talem in modum ut ipsi personaliter propria sit integra haec potestas, superius probatum est.

Secundum non minus est luculentum. Nam si naturale et essentiale est centrum, tota essentia ipsi inhaeret. Centrum igitur, pro sua ratione, verissime dici potest quasi subjectum inhaesionis. Est igitur subjectum.

Tertium denique multo adhuc est evidentius. Centrum enim unum tantummodo esse potest; si alterum foret, jam neutrum eorum verum centrum esset. Centrum itaque si subjectum est, sui generis subjectum erit, id est tale: cum quo in ejus ratione subjecti communicare poterit nullum prorsus aliud.

Quae quum ita sint, et id quod tamquam consequens posuimus, pariter luculentissimum erit. Quum

enim in ratione subjecti, pro hoc speciali ejus genere, nemo cum Papa communicare possit, alterum de duobus sequitur: aut Papa solus unus erit totius potestatis ecclesiasticae subjectum; aut, si hoc nefas est asserere, ceteri qui ad rationem subjecti hujus potestatis jus habent, alia ratione dicendi sunt hoc jus habere, atque proinde alia etiam ratione dicendi erunt subjectum.

Et re quidem vera, habent hoc jus Episcopi, sed alia ratione habent. Nam ipsi in solidum potestatem tenent, unusquisque pro sua rata parte in ejus exercitio; integram vero participat eorum nemo. Haec porro diversa ratio qua illi aliter atque Papa potestatem obtinent, sufficiens est, si sola tantum esset, immo et necessaria est causa, cur in ratione subjecti a Papa Episcopi distinguantur, et omnino alterius generis subjectum pronuntientur, necesse sit.

Quum tandem potestas haec quam et Papa et Episcopi participant, una eademque sit numero, et dividi non possit hinc inde in plures partes; et illa licet duplicis generis subjecta, dividi a se non possunt, immo debent ad se referri necessaria relatione. Distingui tamen et possunt, et debent, vel hoc solo nomine: quod eamdem, quae in unum ea consociat potestatem, diverso modo participent, et quorum alter cum altero commisceri nequeant.

Sic ratio quae Papam et Episcopos conjungit, eadem etiam eos et distinguit. Sunt quidem et Papa et Episcopi potestatis ecclesiasticae subjectum, sed omnino ut diximus, alio modo ille, alio modo isti;

quod demum nihil aliud est, nisi eos esse ejusdem potestatis duo distincta relativa subjecta.

Et hoc erat probandum.

Sed nunc hoc alterum monstrandum est: quo loco unumquodque subjectorum consistere, et quibus juribus gaudere dicendum sit.

Locus Papae jam evidenter determinatus apparet. Centrum est et Principium potestatis.

Eo ipso et locus quem Episcopatus tenere jubetur, non minus est certus et evidens. Terminus est, quo potestas ecclesiastica in existendo se ipsam perficit, et in actu suo completo constituitur.

Hoc jam nemini dubium. Sed quaestio potius in hoc versatur ut doceamur: in quo posita sit natura et ultima ratio mutuae relationis inter ejusmodi principium et terminum potestatis.

Aut pressius ad rem, et primo loco: Num, quaeso omnes Episcopi, eo ipso quod sint Episcopi, sunt etiam adaequatum illud alterum potestatis ecclesiasticae relativum subjectum, an aliqua distinctione hac in re utendum est potius?

Secundo loco veniet illa altera quaestio, quam postea resolvemus: Quae maxime jura huic subjecto competant?

Jam vero prima illa quaestio non solum non est supervacanea, sed maxime opportuna et pernecessaria. Id vel ex hoc solo apparet, quod ex omnium consensu Episcopi haeretici, et etiam schismatici, ad rationem hujus subjecti potestatis haudquaquam pertineant.

Distinguendum est igitur inter Episcopatum materialiter consideratum et eumdem ipsum spectatum formaliter. Hic solus est verum potestatis in Ecclesia subjectum.

Sed quisnam est hic verus Episcopatus, ita formaliter sumptus? Prima specie solutio hujus quaestionis nullum videtur facessere negotium; statimque unusquisque nostrum, adversariis non exceptis, hoc idem daturus est responsum: Illum profecto esse legitimum Episcopatum, qui neque schismaticus, neque haereticus est; illum igitur qui tenet cum Papa, nempe qui juxta formulam nostram, verus est terminus veri principii ecclesiasticae potestatis. Nimirum formula nostra rationem vel ipsa suppeditat, qua formalis a materiali discernatur Episcopatus.

Non abnuimus certe; quin etiam id ipsum asserimus. Attamen omnino ad unguem quaestionem expedire non est tam facile negotium, et majorem a nobis exigit curam.

Itaque ante omnia distinguenda sunt certa ab incertis.

Certum est Episcopos haereticos et schismaticos legitimi Episcopatus exsortes esse.

Incertum est, vel saltem in aliquam quaestionem vocari potest: utrum pertineant, an non pertineant, ad Episcopatum formaliter acceptum, illi etiam Episcopi, qui verbi gratia, in causa nondum definita, at mox definienda, non eamdem quam Papa tenent sententiam.

Cum hac altera quaestione intima necessitudine connectuntur omnes illae aliae quaestiones, quae nunc

animos exagitant : quaestio verbi gratia de causa plurimorum suffragiorum in Conciliis, de unanimi consensu morali, de confirmatione Concilii a Papa, illa praesertim de depositione ejusdem, et si quae sunt aliae.

Ut omnes porro rite solvantur, distinctis capitibus expediantur, necesse est. Hoc nobis erit operae pretium; interim ut ea quae jam certa sunt in hac quaestione de altero potestatis ecclesiasticae relativo subjecto, firmius teneantur, adstruamus conclusionem sequentem.

Conclusio tertia.

Duo relativa potestatis Ecclesiasticae subjecta ita eamdem participant, ut alterum eorum, qui est Papa, semper idem sit formaliter qui et materialiter; alterum vero eorum, qui est Episcopatus, non sit semper idem formaliter qui et materialiter. Jam porro ille tantummodo Episcopatus, qui formaliter talis est, legitimum est potestatis ecclesiasticae alterum relativum subjectum.

Omni ex parte videtur nobis haec Conclusio probata.

Quod Papa semper sit idem formaliter qui et materialiter, id a nemine videtur in quaestione jure ponendum. Agitur enim de Papa certo, et nullo modo de dubio. Dubius Papa neque formaliter, neque materialiter, dicendus est Papa. Exemplum sumamus ex Episcopo. Ut Cajus vel Titius Episcopus sit ma-

terialiter, necesse est ut sit consecratus, et ut de ejus consecratione haud dubie constet; ut vero et formaliter etiam Episcopus sit, necesse ulterius est ut cum Sancta Sede communicet. De Papa vero et ita et non ita.

Nam ut Petrus vel Paulus materialiter Papa fiat, necesse est ut sit legitime electus et institutus, et ut de hoc in Ecclesia certe constet; et in his eadem est ratio Papae et Episcopi. Sed ut etiam formaliter idem sit Papa, nihil ultra requiritur; et hoc est utrorumque causae discrimen. Idcirco Papa secus ac Episcopus, eo ipso quod sit materialiter Papa, est illico et formaliter. Quum igitur dubii alicujus Papae agitatur causa, semper in material m, et non in formalem, rationem inquiritur. Quapropter jure merito diximus: dubium Papam nullo modo hic in causam vocari, quum nequidem Papa sit; et stat quod in conclusione affirmavimus: Papam semper esse eumdem formaliter, qui et materialiter.

Nae, id nos haudquaquam fugit quam grave sit quod hic a nobis asseritur; proindeque rem hanc non facile e manibus dimittimus, et quamvis haec veritas jam videatur satis superque firmata, eam nihilominus omni ex parte corroborare perutile existimamus.

Diximus: eo ipso quod constet aliquem materialiter esse Papam, nihil ultra requiri ut idem et formaliter Papa dicatur. Quid enim potest requiri? Non invenio, nisi forte haec duo: primum ut communicet cum Episcopis (sicut Episcopi debent cum ipso com-

municare); deinde vero ut ne sit haereticus, neve canonibus ecclesiasticis contradicat. Atqui horum neutrum sanum est.

Et primo quidem Papa ex necessitate communicat cum Episcopis, sed eo solo nomine quod materialiter sit Papa, et eo ipso jam sit formaliter. Ad hoc enim ipsum ut communicet cum Episcopis *tamquam Papa*, jam requiritur ut formaliter sit Papa, neque posset communicare cum Episcopis tamquam Papa, nisi prius omnino formaliter Papa esset. Nullus hic consensus Ecclesiae, nulla acceptatio ex parte Episcoporum postulatur, sicut inversa ratione similes conditiones ab Episcopis exiguntur; qui nisi Papa consentiente, ab eo instituti, ab eoque acceptati, non possunt legitimi, id est formaliter Episcopi esse. Qui aliud contenderet, omnem Ecclesiam sursum deorsum versaret; quod neque adversariorum ausus fuerit facere ullus. Ut igitur Papa sit formaliter Papa, id non pendet ex communicatione cum Episcopis, eorumque consensu; haec communicatio effectus est, causa non est; et sine ipsa, Papa formaliter est Papa.

Deinde vero neque hoc ex ea pendet conditione (inutili omnino!): Papam debere esse orthodoxum, et contra fidem aut Canonum decreta nihil delinquere. Haec quaestio gravior est, immo gravissima. Quod ratio hujusmodi ante Protestantismi ortum, et praesertim intempesta illa et perturbatissima in Occidente schismatis aetate, extra rectos legitimosque fines aliquorum animos exturbare valuerit, id non adeo mirum videri debet. Sed quod hodie etiam,

quum Protestantismi ausum nefandum, vel ipsum subvertens fidei fundamentum, oculos omnium aperire debuerat, eadem ratio mentes perstringere et occoecare possit; id potius mirandum est, et merito etiam dolendum. Nam Protestantismi historia, siquid certi et rati demonstravit aliud, hoc profecto luce clarius nos docuit: fidem ex auctoritate, non auctoritatem ex fide pendere. Atqui si ita res habet, luce etiam clarius est, nullo modo ex fide repetendum esse ut qui materialiter est Papa, sit Papa formaliter; et illi omnes qui docent Papam rectam fidem conservare debere (ac si umquam a recta desciscere potuisset!) ut legitimus Papa permaneat; qui docent Papam in haeresim prolabi, et tunc, ob fidem amissam et judicari et deponi posse, hi omnes cum Protestantibus ab imo ad summum conveniunt, et, ut mitissime dicam, nesciunt quid faciunt.

Fides ex auctoritate pendet, non auctoritas ex fide. Hoc unum catholicum est, et totius Catholicitatis axioma, dogma et lex. Quapropter fides ab auctoritate judicatur, non auctoritas a fide. Quapropter Papa judicat quae vera sit fides, et non fides qui verus sit Papa, aut quando verus esse desierit. Quapropter non requiritur fides ut qui materialiter est Papa, sit etiam Papa formaliter.

Sed quid, ajunt, si Papa haereticus fieret?

At, reponere licet: quid, si sol interiret, si mundus occideret, si omnia aegri somnia re complerentur? Nam haec sunt aegri somnia: immo, pejus aliquid. Admittere enim hujusmodi hypothesin: Papam haereticum fieri posse, est penitus destruere illam ca-

tholicam regulam: fidem esse ab auctoritate judicandam non auctoritatem a fide.

At, regerunt, somnium non est. Jus canonicum hanc hypothesim admittit; tum vero id ipsum in Honorio saltem, re completum est, et Conciliorum oecumenicorum, ipsorumque Romanorum Pontificum auctoritate comprobatum.

Verum nihilominus somnium est, et pejus somnio. Nullum est hic nobis propositum, sed neque refert, plenam discussionem movere de hac utraque causa. Brevi manu rem expedire possumus.

Jus canonicum perperam adducitur, et tanto infelicius, quod cum ostentatione et emphasi. « Pontificem Romanum... haereticum esse posse, in Jure Canonico constanter docetur » — pronuntiat nonnemo (1). Illud: *constanter!* ad unum solum quod sciam reducitur locum (2). Ex hoc ipso loco tamen argui potest quam hypothetice, et veluti per transennam, textus juris canonici hanc rem considerat: dum neque judices jubet, neque causam instituit, neque poenam decernit. At verum est quod hypothesin fingit, quam melius omisisset. Quid inde? Textus hic certe non est dogmaticum decretum. Hypothesis ejus non est veritas

(1) In opusculo: De Summi Pontificis Infallibilitate personali. « Sine Ira et studio. » Neapoli, 1870.

(2) Decretum Gratiani, I. parte, XL. Distinctione. Dico autem ad unum reduci locum in Jure Canonico; nam hoc Jus appellatur ab adversariis. Parum deinde refert si in Commentariis, et apud non paucos Juris professores vel scriptores, haec doctrina liberiori et pinguiori Minerva tractetur; nam certe hic Jus ipsum vocatur in causae subsidium, et solum juvare potest; non Juris plus vel minus peritorum auctoritas, quae in fidei causis a nemine magni aestimatur.

fidei. Dicam potius quid sit. Somnium utique, quod illis antiquis temporibus pacatissimis innocuum erat confingere, et pietatis speciem prae se ferebat; eoque magis erat ingenuum, quod nulli dum Protestantes orti essent, qui procaciter assererent, auctoritatem ex fide esse judicandam. Nunc vero qui hunc textum strictius interpretari et exsequi vellet, cum iisdem concineret, et illico fieret apertissime Protestans ex asse; atque pejus aliquid gereret in animo quam innocuum somnium.

Eadem est ratio Honorii. Profecto, longissime abest ut velimus hic causam Honorii ex industria historice ventilare, quum non sit locus suus iste. At locus certe est ut illa ratione et argumento, qnod prae manibus tenemus, causam Honorii omnino ex discussione excludamus. Non enim fides judicat auctoritatem, sed auctoritas fidem. Jam vero si Concilium Oecumenicum VI. vel quodvis aliud, Honorium uti verum haereticum (non uti negligentius contra haeresin agentem) auctoritate sua condemnasset, eo ipso Protestantium principium pro lege sanxisset: auctoritatem scilicet ex fide judicandam. Ab hujusmodi crimine non salvasset Concilium sua propria auctoritas, neque ullo modo dici posset: saltem Concilium ex auctoritate de fide judicasse. Nam si Papae auctoritas, cujus est Concilia confirmare, ex fide aestimanda est; multo magis certe auctoritas Concilii. Verum quidem est Oecumenicum VI. ab alio Papa confirmatum fuisse; at si ex causa Honorii semel probatum erat auctoritatem Papae ex fide pendere, certum esse debuerat Leonis auctoritatem tantum va-

luisse quantum et Honorii; certum etiam Leonem ideo solummodo rite confirmasse: quia juxta rectam fidem, et non quia ex auctoritate judicaverat; certum denique auctoritatem Papae confirmantis e causa exclusam esse, et remanere auctoritatem Concilii solius, de fide judicantis. Redit igitur vehementer illa quaestio: Si Papae auctoritas, cujus est Concilia confirmare, ex fide examinanda et judicanda est, quomodo non multo magis etiam ex fide auctoritas Conciliorum? Et quomodo non ex tempore efficimur meri ac puti Protestantes?

Certe non potest responderi: Concilium habere auctoritatem independenter a fide, et Papam dependenter a fide. Primo quidem, hoc esset negare omnem auctoritatem Papae in rebus fidei, quod hactenus Catholicorum ausus fuit dicere nemo. Deinde vero, si ita res haberet, cur adhuc Concilium egeret Papae confirmatione? Ut alia aeque incongrua hic missa faciam. Nihil igitur restat nisi hoc unum: ut si dicatur Papa dependenter a fide Papa esse, et Concilium etiam Concilium esse dependenter a fide dicatur. Et sic rursum cum Protestantibus eadem stipendia meremur.

Ultimum perfugium desperatae hujus causae (nam omnia perquirere debemus) haec forte esset inventio: quod pro certo admissa, et Papae, et Conciliorum auctoritatem, seorsum sumptas ex fide pendere; si tamen una secum conspirent, naturam rei mutare, et auctoritates quae prius separatim ex fide pendebant, illico ac secum foedus inierint, id efficere, ut fides pendeat ex auctoritate. Sed quis non videt talem

sententiam, ipsa sua enuntiatione, sibi contradicere, et causa cadere? Contra logicam namque est, ne dicam evidentius etiam contra naturam rei: id quod prius ex una et ex alia parte dependens erat, conjunctione inducta, non dupliciter dependens, sed ex integro independens fieri; quin imo, cui prius famulabatur, extemplo ejusdem postea fidei patronum agere. Haec impossibilia sunt.

Quam rectius, quam omnino juste ac praeclare eamdem rem proponit catholica veritas. Fides ab auctoritate dependet, non auctoritas a fide. Auctoritas haec una est, et communis Papae et Episcoporum Concilio. Ipsi judicant de fide, non fides de ipsis. Sed haec una auctoritas in Papa residet veluti in centro essentiali, persona Papae ipsa essentialis est et immutabilis, auctoritatisque modus independens; residet etiam in Episcopis veluti in termino suo interiori, pariterque essentiali, in personis tamen (veluti in accidentibus) accidentaliter mutabilis, qui etiam modus auctoritatis pro natura sua dependens est. Sed vera auctoritas, una eademque et hic, et illic; auctoritas quae non judicatur a fide, sed quae fidem judicat, decernit, docet; fidei testis simul et magistra. Hoc solum non est Protestantium, hoc unum Catholicum est.

Nunc vero ad Honorii quod adtinet causam: certe, ex discussione exclusa est. Nisi Protestantes esse velimus, oppido verebimur contendere id, quod, quum historice plusquam facto opus esset infectum probatum sit, dogmatice etiam impossibile demonstratur: nempe, Honorium a quocumque Concilio tamquam

formalem haereticum condemnatum esse. Protestantium haec sit cura; in qua, si ipsis placet, quantum voluerint, oleum et operam perdant!

Et jam tandem ratum firmumque manet: Papam, qui materialiter, eumdem esse et formaliter.

Non ita certe Episcopatus. Nam, uti jam satis monuimus, si Episcopatus idem esset formaliter qui et materialiter, tunc non solumqui praeteritis temporibus rescissi sunt, sed qui hodie etiam in Schismate Episcopi versantur: graeci, russici, anglicani, et si quo alio nomine audiunt, ad legitimum Episcopatum pertinerent.

Quinam itaque formaliter Episcopi et Episcopatus dicendi sunt?

De Episcopis singulis nulla difficultas. Omnis qui Catholicus esse velit, confiteri tenetur: illum solum esse legitimum, id est formaliter Episcopum, qui cum Papa tenet in omnibus; id est qui triplici illo est cum Papa colligatus vinculo et subjectione: fidei, jurisdictionis, et regiminis.

Qua in re iterum animadvertisse et sedulo notasse quod jam semel monuimus, peropportunum erit.

Itaque habet suum regimen Episcopus, nempe suam quam regit provinciam; sed ea omnino conditione: ut ipse regatur a Papa.

Habet suam jurisdictionem Episcopus, nempe claves quibus oves suas vel solvit vel ligat; sed ea etiam omnino conditione: ut sit ipse sub clavibus Papae.

Eodem igitur jure, tenet suum magisterium Episcopus. nempe docet fideles; sed quomodo non etiam

aequali per omnia et in omnibus conditione: ut ipse doceatur a Papa?

Scimus itaque omnes conditiones quibus singuli Episcopi vera et formali ratione legitimi et Catholici Episcopi renuntientur. Sed nonne hisce iisdem conditionibus et Episcopatus universus satisfacere tenebitur, ut tandem Subjectum potestatis Ecclesiasticae, illud aliud relativum, jure et revera proclamari possit?

Ita omnino videtur; sed rem ex professo tractare oportet.

Distinguendum igitur est inter singulos Episcopos et inter universum Episcopatum, qui solus, sic collective sumptus, subjectum est potestatis, ad latus Summi Pontificis divinitus collocatum. Certe, si ita sumatur in majestate sua, magna sunt ejus jura et venerandus locus. Habet tum certe Episcopatus, quod singuli Episcopi non habent; habet essentialiter eadem jura et eamdem potestatem, licet hierarchice subditam, quam tenet et Papa; et divinitus habet. Quin igitur minuenda in aliquo, extollenda est potius in omnibus sanctissima haec auctoritas; atque hic similiter, qui Catholicus esse velit, institutionem hanc et auctoritatem divinam summopere suspiciat, et toto animo revereatur, necesse est omnino.

Verissime dolendum est hanc controversiam exortam esse et diuturnam invaluisse. Ubi enim semel hoc coepit, non poterat abesse quin humani nonnihil animos commoveret, et in disputationis aestu hujus vel illius augustissimi Magistratus inviolata venera-

tio detrimenti aliquid pateretur. Haec nos una spes solatur: fore, ut ipsa haec commotio, tempestatis instar, nubila animorum serenet, et luce reducta, quo majori splendore Petri sedes illuminabitur, eo nitidiori etiam claritate et Episcopatus sacrosancta auctoritas coram omnibus refulgebit.

Sine dubio itaque Episcopatus universus, simul sumptus aliam auctoritatem obtinet in Ecclesia atque singuli Episcopi; eamque tenet, ut satis perspeximus, ex institutione divina. Manet tantummodo ut rite doceamur: quisnam verus et legitimus, id est quisnam formaliter dicendus sit Episcopatus? Et pressius adhuc, pro quaestione quae agitur: An legitimus Episcopatus ille sit tantum, qui non solum cum Papa conjunctus est in regimine et jurisdictione, sed etiam in magisterio fidei?

Et in hoc magisterio, non solum post sollennem in Conciliis articulorum fidei definitionem, sed etiam (qua autem ratione id mox videbimus) ante hujusmodi definitionem sollennem?

Antequam huic quaestioni satisfaciamus, ut disputatio, quoad ejus fieri potest, maximo procedat ordine et evidentia, unum adhuc vel aliud opus est ponere principium, et totidem etiam ex iis deducere conclusiones.

Principium quartum.

Potestas ecclesiastica ita residet in primo suo relativo subjecto, id est in Papa, ut ipsi sit essentialiter personalis; in altero autem, id est in Episcopatu, ita ut a singulis teneatur in solidum.

Hoc principium non est nisi legitima consequentia procedens, quum ex hac veritate: Papam eumdem esse formaliter qui et materialiter; tum ex illa: ejus personam esse naturale et essentiale potestatis centrum; tum denique ex iis omnibus, quae disputavimus; et nullum nunc certe facessit negotium. Profecto sola illa duplicis ordinis decreta, quibus Christus potestatem in Ecclesia instituit, si rite, uti fecimus, et discernantur, et secum componantur, ultro hanc veritatem probant. Idcirco reliquam probandi curam omittere possumus; et eo vel magis suscipimus curam applicandi hoc ipsum principium ad rem nostram, ut eam veluti acu tangamus.

Potissimum autem quod exinde sequitur, hoc est sine dubio: potestatem ecclesiasticam haudquaquam teneri in solidum a Papa et ab Episcopis simul sumptis, ita ut Papa habeat suam partem, Episcopi vero suam: uti vult falsa illa opinio quam initio in medium produximus; — sed id omnino sequitur: Papam unum et personaliter tenere omnem potestatem ecclesiasticam; Episcopos vero eos esse qui hanc eamdem et totam etiam potestatem inter se in solidum teneant, et hoc modo tandem constituant veneran-

dum illum Magistratum in Ecclesia, qui non jam singuli sunt Episcopi, sed universus Episcopatus. Hunc in modum quod singuli Episcopi non habent, universus Episcopatus obtinet; hunc inquam in modum Episcopatus, tametsi loco suo et hierarchice subditus, tamen aequat jura sua cum Papae ipsius juribus.

Nisi ita esset, nisi Episcopatus ita collective sumptus teneret in solidum, inter se tantum, ecclesiasticam potestatem, et sic tantum fieret tale ejusdem alterum relativum et distinctum subjectum, non equidem eveheretur ad illum sublimem locum quem sustinet in Ecclesia; neque sua cum Papae ullo modo aequaret jura. Causa et logica, et historica, et divina cur Episcopatus id sit in Ecclesia quod revera est, haec est profecto quod sit distinctum, et pro se subjectum potestatis Ecclesiasticae. Haec sola efficit ut singuli Episcopi, quorum cujusque jura nimium quantum distant a Papae juribus, si simul in unum corpus coeunt, statim in ea collocantur auctoritatis sede, quae licet hierarchice subdita, eadem tamen cum Papa potestate gaudet. Nisi essent ita distincte, et pro se, Papae ad latus divinitus constitutum potestatis subjectum, quomodo tandem id juris consequerentur?

Res certe ipsa loquitur. Singuli etenim Episcopi, ut legitimi Episcopi sint, debent in omnibus potestatis exercitium a Papa accipere, in hoc exercitio a Papa pendere, ab eo etiam si res postulaverit ab officio revocandi. Nullus Episcoporum, in re ulla, habet talem potestatem quae, vel hierarchice subdita, possit Pa-

pae potestati ad latus collocari, atque dici aequalis, eodemque quo et illa, licet subdito, jure praedita. Nimis longum spatium utrosque disjungit. Si proinde Episcopi in unum idemque subjectum potestatis in Conciliis Oecumenicis cum Papa consociarentur: quum nemo singulorum illam relationem, quae ipsi cum Papa est, in aliam mutaret, neque omnes simul naturam rei in aliam convertere possent. Non enim de numero, sed de jure et de essentia rei agitur. Non haberent tunc igitur plus juris quam prius habuerant. Sed neque Papa ipse hoc plus rei et auctoritatis cum ipsis communicare tunc dicendus esset: namque res ita communicata non esset eorum propria; propria autem est Episcoporum ita simul convenientium. Non aliunde igitur repetenda est auctoritas Episcoporum in Conciliis, nisi ex eo quod tunc, ex institutione divina, aliam personam induant; id est, quod tunc non amplius soli et meri Episcopi sint, sed fiant Episcopatus, constitutus in verum potestatis Ecclesiasticae subjectum, quale Episcopi seorsum nisi virtualiter non constituunt. Sed ex eo patet: neque consociari in Conciliis Oecumenicis cum Papa in unum idemque potestatis subjectum, neque cum ipso potestatem tenere in solidum. Sunt, omni dubio procul alterum et omnino distinctum subjectum a Papa; nempe ipsum pro se, et jure proprio sibi divinitus competenti agens, licet hierarchice subordinato.

Et hic in pleniori lumine apparet, quam necesse fuerit inducere hujusmodi distinctionem inter duo relativa potestatis subjecta. Ut nihil aliud de malis, quae inde orta sunt, dicamus, id certe exinde sequu-

tum est: quod hujusmodi distinctione neglecta, et verae sententiae patroni nimis aliquando, et certe praeter intentionem, visi sint auctoritatem universi Episcopatus deprimere; et falsae assertionis fautores ex logica necessitate saepe saepius singulorum Episcoporum locum nimis extollere, et Papae jura veluti pessumdare, non sint cunctati. Istis autem aliquid pejus contigit: adeo ut, hac distinctione praetermissa, qui ima summis mutare voluerunt, summa in ima malo suo convertere coguntur.

Et re quidem vera: imum locum in ratione principii, seu potestatis, in Ecclesia Episcopi tenent quando singulariter spectantur; summum autem locum, id est summo parem, Episcopatus obtinet, juxta illam distinctionem. Isti autem, quum non advertant hanc peculiarem rationem qua Episcopatus constituitur distinctum subjectum potestatis, coguntur plane singulos Episcopos sic materialiter et numerice acceptos, cum Papa in juribus sociare, eique etiam, si opus fuerit, eosdem praeponere; et sic ima extollunt, et naturam rei violantes, summa eis attribuunt. Quod nunquam fecissent si Episcopatum ex vera ejus summa ratione aestimassent. Quum autem rei natura pessum habita injuriam ulciscatur, illico fit: ut ex adverso negatis juribus, quae equidem singulis Episcopis non competunt, certo periculo isti se exponant etiam haec jura, utique summa, amittendi, humique prosternendi, quae juxta illam distinctionem Episcopatui merito et divinitus competere intelliguntur. Et sine dubio omnia perdidissent, causaque penitus caderent, nisi causam perorassent ipsa institutio

Christi, et eorum quos pro adversariis habent inviolata fides.

Quaquaversum itaque rem inspiciamus, id nobis magis magisque fit certum Episcopatum esse a Papa distinctum potestatis ecclesiasticae subjectum. Quod si distinctum: jam profecto singuli Episcopi, qui hoc subjectum soli constituunt, illam potestatem soli, *inter se* tantum, *in solidum* tenent; non vero in solidum cum Papa.

Nihilo tamen minus nullo modo ex hoc sequitur: Papam separatum esse ab Episcopatu, Episcopatum a Papa. Ea, quae eos conjungit, potestas est, una et eadem utrisq·.e.

Et hic rite et exacte solvitur illa controversia quae de hac voce: *separate,* nuperrime exorta est. Duo quidem sunt potestatis ecclesiasticae subjecta. attamen non *separata,* sed *distincta;* et ita distincta ut adsit ratio in qua rursum sunt unum, quae ratio est unitas ipsius potestatis. Quapropter dici debent subjecta *relativa:* quae vox ad id inservit, ut in distinctione unitas affirmetur.

Ex quibus primum sequitur Papam personaliter, et distincte ab Episcopatu, quamvis relative ad ipsum, tenere *unum* totius ecclesiasticae potestatis plenitudinem.

Deinde vero Episcopatum, pro se, et distincte a Papa, quamvis omnino etiam relative ad ipsum, tenere *in solidum* eamdem potestatis plenitudinem.

Et haec est summa conclusionis, quam ex hoc principio deducere propositum nobis erat, quaeque sic plenius proponi potest:

Conclusio quarta.

Papa ita est personaliter potestatis Ecclesiasticae subjectum ut eam teneat plenissime UNUS *et distincte ab Episcopatu, licet non separate, sed relative ad ipsum; Episcopatus autem tale est ex sua parte ejusdem subjectum: ut eam teneat plenam etiam, sed* IN SOLIDUM *inter omnes Episcopos, et pari modo distincte a Papa, licet rursum relative ad ipsum et cum subordinatione hierarchica.*

Conclusio haec jam se ipsam probavit, et non est opus aliquid addere.

Animadversio

de causa majoris numeri suffragiorum.

Hic esset locus utilem proferre animadversionem circa illam causam, quae de majori vel integro suffragiorum numero, in Conciliorum decretis rite firmeque sanciendis, his etiam diebus agitata est: utrum scilicet major tantum suffragiorum numerus, an vero moraliter omnium unanimis consensus, imo et ex integro unanimis requiratur?

Jam vero in hujusmodi quaestione statim omnis tollitur dubitatio ex hoc solo principio: Episcopatum esse distinctum potestatis Ecclesiasticae subjectum, et omnes Episcopos eam tenere in solidum inter se, et non in solidum cum Papa.

Etenim vero, si Episcopatus est distinctum, et pro se subjectum potestatis, illico patet sententiam ab eo latam, vel ferendam, non esse sententiam totius potestatis, in quantum subsistit in suis utrisque subjectis, sed solummodo in quantum subsistit in altero eorum. Propterea quando de numero suffragiorum agitur id solum in quaestione ponitur: quis numerus necessarius sit ut istius distincti potestatis subjecti sententia certa firmaque habeatur; non autem sententia totius Ecclesiae, totiusque potestatis qualis in eadem subsistit. Ex quo sequitur: etiam unanimem Episcopatus sententiam non ideo fieri definitivam, sed esse solummodo definitam quantum pertinet ad rationem et jus hujus alterius subjecti. Haec, ut videbimus, et ut jam videmus, ratio potissima est, cur Conciliorum decreta confirmatione Papae indigeant; quae idcirco non tam confirmatio, quam definitiva sententia illius alterius, ejusdemque et primi, potestatis subjecti vocanda est. Sed de hoc postea.

Tum vero, quum Episcopatus potestatem teneat inter se in solidum, et non in solidum cum Papa, non ita nimium refert an statuatur majorem sufficere suffragiorum numerum, an vero requiri moraliter vel ex integro unanimem consensum. Nam semper agitur de sententia unius tantum potestatis subjecti, et sententia alterius semper integra manet; cujus auctoritatem unanimis ille consensus sicut in secundis rebus non auget, ita neque in adversis labefactat vel minuit. — Verum quidem est quod si contrarius esset hic unanimis consensus, quaestio non levis posset exoriri; sed vero vocare hunc consensum in causam,

et operosius de ejus necessitate indagare, quando utriusque subjecti vota in unum conspirant, id profecto, sit venia verbo, sed quasi ridiculum videtur. Quid enim? Alterum, idque primum, subjectum potestatis hoc vel illud haud dubie sentit, alterum etiam subjectum ex sui potiori parte id idem non minus firmiter asseverat, et adhuc res dubia aestimabitur? Et non erit certa nisi accedat unanimis illius alterius subjecti consensus? Prorsum non possum contineri ut in memoriam ne revocem portentosum hujus rei exemplum, quod quondam in nobilissima gente, quae mihi a Deo optimo pro patria data est, simili forma funestissime pro lege invaluerat. Nomen illi erat *Liberum veto;* eaque lege sanctum fuerat: ut quidquid Rex, Senatusque, Populusque conscriptus, omnes in unum conspirantes, opportunum saluberrimumque jussissent, quisquis conscriptorum unus, sola hac voce *Veto*, inane irritumque efficeret. Monstrum certe regiminis; at quanto magis illud considero, tanto evidentius simillimum invenio huic eidem quod nobis proponitur.

Quidquid de hoc sit, redit certe quod asseruimus: non tam magni referre hujusmodi quaestionem, ut nisi solvatur, causa potestatis ecclesiasticae jam haereat in salebra. Dato enim quod consensus unanimis requiratur; ad id solum nimirum necessarius erit ut Episcopatus sententia, pro sua ratione ac parte, firmissime sanciatur, habeatque totam suam vim ac robur. Quod si ita est, in iis solis causis foret necessarius, in quibus tota auctoritas Episcopatus necessario asserenda esset. Hoc autem esse non pot-

est nisi in iis causis (quas prorsus impossibiles dicimus), in quibus sententia Episcopatus contraria esset Papae sententiae; tunc revera non solum unanimis, sed si ita loqui fas est, unanimi unanimior consensus oppido exigendus foret. Et quamvis omni dubio procul Papae sententiae auctoritas, utpote distincti subjecti, et tunc etiam integra mansura esset, et ad minimum tantum valitura ut illam contrariam assertionem inermem redderet et innocuam; nihilo tamen minus et ille contrarius unanimis consensus vim suam haberet; et semel tali casu impossibili admisso, probabile forte esset Papae sententiam, etiam veram, pro dubia tunc habendam, et pro tunc suspendendam. Haec ferme ea causa foret, in qua simile propemodum jus atque erat Romanorum Consulum, locum obtineret; et alia aliam tametsi non vinceret, tamen vinciret auctoritas. Sed hujusmodi hypothesis ficticia omnino est et inter somnia releganda, ut data opera evidenter confirmare curabimus.

At vero in iis causis in quibus sententia Episcopatus Papae sententiae non contradicit, alia prorsus ratio est rei. Quum enim sententia Episcopatus non sit nisi unius ex duobus subjectis, et quidem illius qui potestatem inter se *in solidum* possidet, nemo non videt: scisso hoc subjecto in duas quantaslibet partes, auctoritatem etiam (non potestatem), quae in solidum redundat in omnes, in duas, tantasque partes dividi omnino; et quo pars major vel minor, eo etiam majorem vel minorem ejusdem esse auctoritatem. Ipsa rei natura id affatim postulat. Tunc autem ex ipsa rei natura, etiamsi major pars Episcopatus sit

Papae contraria, non est tamen haec plena auctoritas istius subjecti qui est Episcopatus; altera pars etiamsi minor habet etiam suam auctoritatem. Cui auctoritati si addatur plenissima auctoritas illius integri alterius subjecti qui est Papa; num forte non sat auctoritatis consurgit, ut causa plus quam facto opus sit rite definiatur? Quid igitur dicendum si non minor, sed major; quid, si maxima pars cum Papa in unum consentit? Ter, quaterque prorsus causa judicata est.

Quamquam perinde, si aequis conditionibus stare velimus, etiam sine Papa, id solum justum ac sanum intelligatur: nempe quum Episcopatus sit pro se, distinctum potestatis subjectum, et potestas ab omnibus Episcopis in solidum possideatur; non esse aliam rationem qua probetur sententiae ejus auctoritas ac valor, nisi solum majorem suffragiorum numerum. Secus enim Episcopatus una simul et haberet et non haberet auctoritatem. Haberet, quippe enim de jure est; non haberet, quippe quod nunquam esset de facto. Nunquam, ajo, esset de facto. Fac enim, judicetur causa aliqua, et sententia haec vel illa tulerit majorem suffragiorum numerum. Sed major dicunt, non sufficit; jam vero eo magis non sufficit minor. Ubi tunc erit auctoritas, quaeso? Nonne fugit, ut ajebam, et non comparet de facto? Fortasse majorem adhuc exquires numerum? Sed quousque tandem? Semper eamdem ob causam auctoritas sufficiens non aderit; et quae de jure semper est, de facto aderit nunquam; nisi tandem aliquando ad unanimem consensum recta devenire cogaris. Qui exitus,

quum contra naturam rei delinquit, tum maxime contra sanam rationem pugnat: est enim illud plane de quo monebam, et ipsissimum: *Liberum Veto.*

Haec sufficiant. Quum tamen haec sint majoris momenti, liceat nobis ea in unam perstringere assertionem; quam ne intervertatur ordo Principiorum et conclusionum, peculiari scholio proponendam curabimus.

Scholion.

Ex his sequitur: Quaestionem de majori numero suffragiorum vel etiam de unanimi Episcoporum in Conciliis consensu, talem esse, quae referatur solummodo ad internoscendam auctoritatem sententiae hujus unius potestatis ecclesiasticae subjecti, qui est Episcopatus; et quae (quaestio) proinde non tam permagni ad causam intersit: manet enim integra auctoritas alterius subjecti, qui est Papa, et quae (auctoritas) semper, sive majori, sive minori numero, aut id auctoritatis adimere potest quo pollere, aut id tribuere quo carere videtur.

Alterum nunc principium assumendum est, quo melius illa, quam expendere coepimus, resolvatur quaestio de formali ratione, quae Episcopatus verus et legitimus renuntietur?

Hoc principium ad ultimam refertur relationem inter Papam et Episcopatum. Ultima autem haec relatio jam novimus quaenam sit: tota etenim pendet ex responso ad hunc quaesitum: Quisnam, Papa an Episcopatus, supposito dissidio, rerum summa potiatur?

Quod rursum responsum proficiscitur ex hoc alio: Quodnam duorum illorum subjectorum sit non dependens ab alio, quod vero dependens? De hac igitur ratione: qua alterum ab altero dependet, principium hoc nostrum agere debebit.

Qua in re, quum vocabula *dependentia, independentia, dependenter, independenter,* non admodum latina, usu tamen invaluerint, nos etiam libere ea, sicut jam identidem usurpavimus, ita et deinceps usurpabimus; id tamen unum sollicitos nos habebit ut eorum verum sensum ne cum adversariis nostris non diligenter curemus. His enim nostris mos est passim asserere: Papam non esse omnino independentem ab Episcopis; et longe lateque de aliquanta Papae dependentia disserere amant. Sed vox *dependentiae* ambigua est, et in controversia, ut haec nostra, non debet nisi unico proferri, eoque gnaviter definito sensu. Nam profecto et Pater familias a prole sua dependens disci potest; attamen verane haec dicenda est dependentia? Quin potius dependentia vera si qua hic deprehenditur, est prolis utique a patre. Ex parte autem Patris non dependentia est, sed necessitudo quaedam, quae accurato vocabulo, philosophico juxta et theologico, *relatio* dicenda est omnino. Quo sensu nos cum primis dicimus et asseveramus Papam in essentiali et necessaria cum Episcopatu esse relatione; sed eodem jure etiam affirmamus: in nullam venire dependentiam vere et proprie dictam.

Nimirum adversarii nostri, qui relationem asserere debuerant, dependentiam inducere maluerunt; et, di-

cto facto, in ambiguo spatiantur. Tantum prodest vel obest vocabulorum recta significatio.

Relatio itaque est notio generalis quae omnem nexum inter duos terminos intelligit; dependentia autem est particularis notio (species vel potius pars relationis) quae solam illam rationem in omni nexu inter terminos considerat, qua alter ex altero pendet. Relatio ad utrumque terminum illius nexus refertur, dependentia ad alterum tantum eorum.

Quibus praemonitis, jam nunc ponamus:

Principium quintum.

Papa non solum personaliter, sed etiam independenter ab Episcopatu, licet relative ad ipsum, divinitus tenet unus totam ecclesiasticam potestatem; Episcopatus autem, non solum in singulis Episcopis, sed etiam universus, ad instar unius subjecti consideratus, tenet eamdem proprio quidem divinitus jure, attamen non solum relative ad Papam, sed etiam dependenter ab eo.

Rationes jam per longum allatae sunt omnes.

Si enim papa est primum subjectum potestatis ecclesiasticae, et quidem divinitus;

Si divinitus est ejusdem principium, fundamentum et centrum essentiale;

Si divinitus tandem omnem omnino potestatem, quin aliquid jam ei desit (ne scissa dicatur), possidet unus personaliter;

Profecto jam divinitus a nullo in ejus possessione

dependet, nemo potest ei aliquid dare vel auferre, et dicendus est omnino independens ab Episcopatu.

E contra:

Si Episcopatus, ex divina etiam institutione, est secundum ecclesiasticae potestatis subjectum;

Si est non principium, sed terminus interior ejusdem, et veluti peripheria;

Si plenam illam eamdemque potestatem possidet inter se in solidum, ad instar corporis, ita ut, quum unum corpus scindi divina permissione possit in plura, ne ipsa etiam potestas scindatur, divinitus datum sit ei unum personale centrum unitatis;

Jam omnino similiter, ex divina institutione, Episcopatus uti Episcopatus, id est uti potestatis ecclesiasticae alterum subjectum, est dependens a Papa:

Tamquam secundum a primo;

Tamquam terminus a principio;

Tamquam corpus existens et vivens a suo unico centro existentiae et vitae.

Ubi ex ipsa natura rei clare perspicitur: omnem rationem dependentiae esse ex parte Episcopatus; ex parte autem Papae nullam adesse, nisi rationem relationis.

Et jam simul apparet: rationem et regulam ultimae relationis inter Papam et Episcopatum consistere in hac divinitus instituta et essentiali dependentia Episcopatus a Papa, qui pro sua parte a nemine nisi a Deo dependet.

Porro hac in re multum interest distinguere inter dependentiam, qua Episcopatus universus, et eam,

qua singuli Episcopi a Papa dependent, quae distinctio ex illa alia proficiscitur, jam sufficienter a nobis exposita, et qua verissime distinguitur inter Episcopos singulos et universum Episcopatum.

Dependentia igitur qua universus Episcopatus erga Papam devincitur, ea est quam proxime attigimus.

Alia profecto, multoque major est dependentia singulorum Episcoporum.

Episcopatus universus tenet ut vidimus plenitudinem potestatis, et quidem directe a Deo, quantum ad ejus substantiam; licet dependenter a Papa, quantum ad ejus exercitium. Hanc distinctionem inter substantiam et exercitium potestatis secundo libro apertius explicabimus, quamvis ex his quae dicta sunt, satis et nunc pateat quid sit. Quare Episcopatus universus, tametsi dependenter quantum ad exercitium, tamen, quum plenam et eamdem teneat, quam et Papa, potestatem: dici potest et debet ejusdem in officio Collega, par cum pari, licet suo loco, eodem jure utens. Et quum jura consequitur honor et jurisdictio: sequitur etiam Episcopatum jurisdictionem et honorem summo parem, loco suo, obtinere.

Hoc autem longe abest ut dici possit de singulis Episcopis, quorum nemo plenam potestatem, vel illam quam tenet Episcopatus universus, participat unus, et tantum pro rata parte hanc ultimam singuli participant. Quare singuli Episcopi duplici ratione dependentes intelliguntur: primum quidem dependent ab Episcopatu, quemadmodum in unoquoque

Collegio, maxime si sacrum sit, singuli Collegae a Collegio pleno dependere noscuntur; tum vero dependent a Papa.

Sed a Papa rursum dependent dupliciter. Primum quidem directe, eadem ratione qua dependent ab Episcopatu universo. Quum enim dependeant ab Episcopatu eam ob causam, quod istic plenam habeat potestatem, quam illi, nisi pro sua parte quisque, singuli non habent; a fortiori, ob similem causam, dependent a Papa: quia hic eamdem potestatem, quam et Episcopatus, non solum tenet plenissimam, sed prior, et personaliter, et independenter tenet. Tum vero ex hoc alio capite a Papa dependent, quod sint a Papa quidem adlecti Collegae in illo sacro Collegio, quod vel plenum, plene nihilominus a Papa dependet. Sequuntur enim Collegium suum, sicut pars sequitur totum. Et hic quidem, esto veluti indirecte, attamen majori quadam ratione dependent. Nam si Collegium universum, cum omni sua auctoritate, plene in omnibus dependens sit a Papa; quoad plenissime igitur non erunt dependentes illi, qui tantum pro rata parte ejusdem Collegii auctoritatem participant?

Haec omnia ad rem illustrandam non parum conferre videntur, ideoque possumus ea in unum redigere. Sit itaque

Conclusio quinta.

Dependentia a Papa alia est Episcopatus universi, alia vero singulorum Episcoporum. Episcopatus enim, qui est Papae in officio Collega, et par cum

pari, licet loco suo, eadem potestate utitur, dependet a Papa tamquam secundus a primo, tamquam terminus a principio, tamquam corpus a suo centro vitali. Episcopi autem singuli, qui sunt sacri illius Collegii, qui Episcopatus est, participes pro parte sua quisque, dependent primum ab hoc suo Collegio pleno; tum vero dupliciter a Papa: in primis directe ea ratione qua a suo Collegio dependent, sed a fortiori: quia Papa eamdem tenet plenam potestatem quam et Collegium Episcoporum, sed prior, et personaliter, et independenter; deinde tamquam participes Collegii Episcoporum, una cum ipso, et tunc veluti indirecte, sed majori quadam ratione subjectionis, quum partem tantum habeant auctoritatis (1) *in illo Collegio, cujus tota auctoritas a Papa dependens est.*

---

(1) Posset quis forte cavillationo uti, objectans nos ipsos, qui potestates in partos scindere prohibemus, hic tamon de partibus auctoritatis verba facere. At quaeso, advertat nos hic non loqui de parto potestatis, sed de parte auctoritatis, et ideo nos vocabula mutasse ut huic recriminationi obviam iremus.

Forto inter voces potestatis et auctoritatis non tam magnum intercedit discrimen; attamen ni fallimur, vox potestatis potius refertur ad rem, auctoritas vero ad personam: illa ad jus spectat, haec ad ejus exercitium. Non igitur praeter naturam rei asserero nos posse putamus: singulos episcopos neutiquam habere partem potestatis (quam utpote rem unam et individuam totus Episcopatus in unum collectus solus tenet individuo modo), habere tamen partem auctoritatis: quia ad exercitium et actum ejus personaliter concurrunt. Alterum vero ab altero eo vel magis distinguendum est, quod, supposito inter Episcopatum dissidio, quam una pars recte, altera autem necessario male tulerit suffragia, certissime quidem haec ultima in potestate non stetit, et nihil jam cum ipsa commune habet; auctoritatem tamen servat, saltem ad tempus quoad definitiva sententia

His positis unum adhuc subsidiarium principium ad suppetias vocare, necesse est nobis; quod, etsi alio spectare videatur, ad rem tamen omnino pertinebit.

Aget autem hoc principium de objecto potestatis quam Papa et Episcopatus in unum tenent. Nam distinguendum est inter terminum potestatis et inter ejus objectum. Terminus potestatis sine dubio est plebs fidelium; objectum autem est illa res, sive finis, ad quem consequendum potestas instituta est et munus exercet.

Finis iste porro est ipse Deus, ab homine fideli tandem obtinendus. Omnis potestas Ecclesiastica ad id instituta est: ut homines ad hunc finem perducat; atque in hoc occupatur: ut Deum det hominibus, homines autem Deo consociet.

Jam vero Deus se praebet hominibus primum in genere, uti eorum ultimus finis; deinde in particulari: uti Verum, uti Bonum, uti Justum. Et Ecclesia itaque, id est potestas ejus, dat Deum fidelibus: uti Verum, uti Bonum, uti Justum.

Primum facit quatenus est potestas Magisterii et legislativa;

---

feratur, cui se tandem submittere debet, ne omnino ab auctoritate etiam excludatur.

Ex his intelligitur: primo quidem nos nullo modo potestatem dividere in partes; tum vero ostenditur quomodo singuli Episcopi habeant partem in potestate, et non partem potestatis. Nempe, habent partem in exercitio ejus, et in illa participatione qua concurrunt ad actum potestatis. Haec autem pars in exercitio opportune nuncupari potest auctoritas.

Alterum, quatenus est potestas Jurisdictionis pressius sumptae;

Tertium denique, quatenus est potestas illius Jurisdictionis, quae est Regiminis et Gubernationis.

Quatenus autem in hoc triplici ministerio semper tamen unum eumdemque Deum praebet, summum atque personalem fontem illius trinae rei; eatenus et ecclesiastica potestas possidet unum summum jus, illius triplicis juris ultimum fontem; quemadmodum in explanatione monuimus.

Jam porro Verum, et Bonum, et Justum, unum est; sicut et Deus unus est.

Unum igitur, essentialiter et necessario unum, est objectum circa quod exercetur potestas Ecclesiastica; non potest hoc objectum scindi in duo ne cogitatione quidem, si de re agitur.

Ex quo sequitur alia ratio, quae objectiva est ex natura sua, quaeque ultro probat: potestatem ecclesiasticam, jam ex intima natura sua unam eamdemque numero, etiam ratione objecti sui, et in exercitio sui officii, unam esse ex necessitate.

Ex quo ulterius consequitur Potestatem ecclesiasticam, licet sit distincta in duo subjecta, in exercitio tamen muneris sui, sicut non debere, ita neque posse scindi in partes; atque Deo providente, sicut nunquam id factum est, ita etiam nunquam fore futurum.

Et hoc est principium quod statuimus.

Principium sextum.

Objectum potestatis ecclesiasticae, quod est Deus ipse, et ejus Verum, Bonum et Justum, quum sit omnino Unum et indivisum, hujusmodi est ut omnino vetet, quominus inter duo subjecta Potestatis ecclesiasticae in officio exercendo, possit unquam dari verum dissidium.

De vero loquimur dissidio non de opinato quocumque. Nam opinata dissidia, et non pauca fuisse, et etiam futura esse, nemo potest non admittere. Attamen haec omnia non vera, sed opinata tantum dissidia, et fuisse, et futura fore, non parvi referet perspectum habuisse.

Opinatum dissidium illud dicimus quod materialiter revera existit, formaliter autem est nullum. Hujusmodi dissidium illud est, quod inter Episcopos identidem exortum est vel exoriri potest; ita ut materialiter Episcopatus in duas partes divisus appareat. Inter Episcopos tunc quidem revera dissidium est, at non inter Episcopatum et Papam. Quum enim et tunc alterutra pars Episcopatus semper cum Papa teneat, et formalis ratio unitatis in hac conjunctione resideat: nullo modo haec Episcoporum inter se materialis discordia, formale inter Episcopatum et Papam dissidium esse poterit.

Rationem rei jam perspectam habemus. Tota in eo est: omnem hujusmodi discordiam esse inter solos Episcopos, id est inter Collegas illius sacri Collegii

qui est Episcopatus, et constituit alterum potestatis Ecclesiasticae subjectum.

Hanc rationem suadent tum ipsa natura rei, tum principium proxime a nobis expositum.

Ex natura rei habemus duo distincta potestatis subjecta; ex ipsa ergo sequitur tum solum inter utraque verum et formale fore dissidium, si utrumque utrique plenum pleno opponatur. Quoad igitur solus Episcopatus inter se dissentit, eousque nulla est omnino inter utraque subjecta dissensio.

Accedit nunc principium superius expositum. Ex eo enim ratum firmumque est: utrumque et utrumcumque subjectorum idem omnino administrare debere objectum, idem Verum, et Bonum, et Justum; et id revera etiam potestate sua administrare. Ex parte Papae necessario hoc re completur: ipse enim tantum est subjectum potestatis, quanta et persona ejus: uuicum videlicet, sicut et illud objectum, quod potestate sua administrat, pariter est unicum; et quum insuper divino illud jure administret (divina autem nec ruere, nec deficere possunt), etiam objectum illud potestatis suae Papa semper ministrabit, veluti unus idemque factus cum illo. Et haec est dubio procul potissima ratio infallibilitatis ejus, quam mox loco suo firmabimus. In praesentiarum autem id certissimum manet: Papam in ministrando objecto potestatis ecclesiasticae nunquam deficere posse.

Enim vero et Episcopatus etiam deficere non potest, sed alia ratione. Quum enim non sit unica persona, et Christus pro hac re non oraverit Patrem, neque promiserit singulis Episcopis fidem eorum non

defecturam; ideo fieri optime potest, factumque est, multos a ministerio suo descivisse. Utique pie credendum est, et experientia etiam probatum, nunquam fore, vel fuisse, ut Episcopatus ex integro, vel etiam ex potiori parte a ministerio suo deficiat vel defecerit; nisi unum alterumve deplorandum casum excipias (Arimini verbi gratia aut Seleuciae perpessum); ubi etiam ex majori parte Episcopatum ab officio recessisse ingenue fatendum est. Attamen quidquid de hoc sit, et quidquid sit de illa pia sententia, qua creditur major pars Episcoporum ab officio nunquam recessura; id tamen certum est pro natura rei: neque factum esse, neque fieri posse: ut Episcopatus ex toto, et pro omni eventu, unum idemque efficiatur cum objecto potestatis ecclesiasticae, sicut unum idemque cum illo factus est Papa. Et haec est ratio: cur primum dissidia in Episcopatu locum habuerint; cur deinde, dato etiam quod nunquam ex majori parte Episcopatus defecerit, probabiliter tamen asseri permittatur: possibile id esse; et Episcopatum esse fallibilem materialiter, id est ex majori sua parte; ut etiam suo loco plene confirmabimus.

Neque ulla est ratio quae suadeat id non esse probabile, quia nulla est ratio quae persuadeat id esse necesse. Sive major, sive minor sit pars illa, quae stet in officio, et administret verum objectum ecclesiasticae potestatis, semper modus adest quo sciatur quaenam pars revera divinum illud objectum administret, proindeque quisnam sit formaliter verus et legitimus Episcopatus. Illa certe erit pars Episcopatus quae cum Papa idem sacrum ministrat ob-

jectum: eo ipso quod hoc unicum sit, et a Papa necessario ministretur.

Tantum igitur valet principium quo asseritur: Objectum potestatis ecclesiasticae unum idemque esse.

Clarissimus auctor libri, quae prima fuit origo controversiarum nunc longe lateque ferventium, modum proponebat curiosius a se inventum, quo Papa fieret infallibilis; et erat Episcopatus in Concilia statis temporibus colligendus, et ad latus eidem assistens, eumque docens ubi consisteret Verum, Bonum et Justum, potestatis ecclesiasticae sacratissimum objectum. Quam arbitrarius, quam potius contortus sit iste modus, rei divinae natura nos docet. Retorqueatur igitur, necesse est. Non Papa ullo modo, sed Episcopatus opus habet, ut infallibilis, non dicam fiat, sed quis certe sit, monstretur. Et si modum invenire volumus quo quis infallibilis fiat, sumamus illum quem Christus nobis dedit, quem inseruit in ipsam rei a se creatae naturam: in qua non fundamentum dependet ab aedificio, sed aedificium a fundamento: non Papa ab Episcopatu, sed Episcopatus a Papa.

Extra omne dubium igitur positum est: simul ac duo sunt potestatis subjecta, et unicum ejusdem objectum, nullo modo dari posse inter eadem verum et formale dissidium. Et haec veritas; quemadmodum ex una parte firmat dependentiam Episcopatus a Papa, ita ex altera parte suppeditat verum modum internoscendi quis sit formalis Episcopatus.

Conclusio autem quae ex his sequitur, haec erit omnino:

Conclusio sexta.

Asserere, etiamsi hypothetice, verum dissidium posse admitti inter duo Ecclesiasticae potestatis subjecta, Papam et integrum axadversus Episcopatum, non est solum negare divini juris dependentiam istius ab illo, sed est negare Deum, in quantum ejus Verum, Bonum, et Justum sunt unicum et indivisum objectum a potestate ecclesiastica administratum; est deinde destruere ipsam hanc potestatem, non solum in Papa, sed etiam in Episcopatu; est denique destruere Ecclesiam ipsam. Quare firmiter tenendum est Episcopatum formaliter sumptum nunquam a Papa separatum iri.

Haec est conclusio quae definit ultimam relationem inter Papam et Episcopatum, quam hactenus exquirebamus; haec est quae pronuntiat, non equidem quid agendum esset in illo casu desperato qui temere fingitur, quando Papa et Episcopatus secum ex adverso pugnare supponuntur; sed omnino impossibilem esse hujusmodi casum nefandum, et neve unquam futurum, neve aliquando in praeteritis temporibus, ne Arimini quidem, ex integra causa accidisse. Nam et in illo discrimine, licet minor pars Episcoporum, superfuit tamen aliquanta quae non cecidit, et cum illa stetit etiam totus Episcopatus formaliter sumptus.

Verum est, neque nos fugit, etiam non parvi nominis doctores hujusmodi casum supposuisse. At vero

in primis aeque bonae et etiam melioris notae doctores stant ex adverso; tum vero non de auctoritate nominis, sed de rei veritate agitur; tum denique ratio non deest, qua a crimine hujusmodi Theologorum excusetur non unus. Nam si de bonae notae Theologis sermo est, sicut de Joanne de Turrecremata, et aliis ejusdem census, qui hunc casum hypothetice admiserunt; eadem ferme eorum est ratio, quae et illius textus juris canonici, de quo supra disputabamus. Hypotheses innocuae fingebantur, quae ante Protestantium tempora et perversum eorum axioma: auctoritatem ex fide judicandam, haud dum poterant justa statera examinari, unde evidentius conjiceretur quid damni minitarentur. Qui autem ex posterioribus Theologis damnum jam evidens non adverterint, vel non curaverint, hosce et nos possumus minus curare; et omnino permittimur, imo jubemur eosdem non admodum probatae notae Theologos dicere. Qui enim Theologi sunt isti, qui Protestantibus vinctas dant manus?

Verum deinde est, ex historia etiam nonnulla proferri. Quae ad historiam spectant et ad Christianae Reipublicae hac in re varia discrimina et casus, de his suo loco, ad mentem nostrae distinctionis, disserendum erit. Nunc autem uno verbo affirmare possumus: quod si aliquando pars Episcopatus, pro universo se obtrudens, et jura non sua usurpans, propriae auctoritatis nomine Papam ad dependentiam sui redigere conata fuerit (id vero praesertim in Constantiensi Concilio actum intelligitur; nam Basileense nec meminisse refert); illico sua propria au-

ctoritate ceciderit; adeo ut nullum eorum Conciliorum, quae sic naturam rei et jus divinum intervertere attentarunt, in numero Oecumenicorum ex integra causa a Catholicis habeatur. Quomodo enim esset Oecumenicum, illud ipsum quod ne quidem Christianum est: dum duo facit, ubi Christus fecit unum, et unum, ubi fecit duo Christus? Talia machinari ausum, certe Oecumenicum non est. Nimirum, fecit duo Concilium Constantiense, ubi Christus fecit unum: nam disjunxit suam potestatem a potestate Papae, suamque illi praeposuit; fecit autem unum, ubi Christus duo: nam in ratione subjecti potestatis Papam non distinxit a Concilio, neque ei locum proprium assignavit, sed cum suo commiscuit. Non Oecumenicum igitur, neu Christianum in his sane; ut de ceteris ejus rebus ad tempus taceamus.

Conclusio itaque nostra hujusmodi casus ab ea quae in Ecclesia obtinet, rerum divinarum natura removet, et uti diximus, definit ultimam relationem inter duo potestatis ecclesiasticae subjecta relativa. Haec relatio in eo consistit: ut inter Papam et Episcopatum formaliter sumptum, inter quos jam novimus esse unitatem potestatis, sit etiam ex necessitate, et nullo contrario casu admisso, uniformitas in ejusdem exercitio.

Hanc veritatem propria et distincta formula proponere juvabit.

Scholion.

Ultima relatio, eaque prima etiam et essentialis, inter duo relativa potestatis ecclesiasticae subjecta, in eo consistit ut inter Papam et Episcopatum formaliter sumptum, sicut est unitas potestatis, ita etiam, servato hierarchico ordine et dependentia hujus ab illo, sit etiam, semper et necessario, perfecta uniformitas in potestatis exercitio.

Nihil jam impedit quominus tandem definiatur ratio qua constituitur verus, legitimus et formaliter sumptus Episcopatus, hoc alterum ecclesiasticae potestatis relativum subjectum.

Haec ratio est sequens:

Principium septimum.

Episcopatus formaliter sumptus (alterum potestatis ecclesiasticae relativum subjectum) est ille Episcoporum coetus (sive totum Collegium, sive pars) qui potestatem quam directe habet a Deo, in exercitio eodem modo quo et Papa, et dependenter ab eo, administrat: docet idem Verum (in dogmate et legibus), judicat idem Bonum (in moralibus), exsequitur idem Justum (in disciplina et Gubernatione), cum illa erga Papam reverentia et submissione quae ex dependentia oritur; et id non solum post definitionem sollennem causarum in Conciliis, sed etiam ante hujusmodi definitionem.

Prima pars hujus propositionis non est nisi legitima consequentia eorum quae jam disputata sunt, et fuerunt probata.

Altera pars, quae asserit etiam ante sollennem definitionem haec omnia requiri, forte aliqua indiget explanatione.

Ante omnia non potest dubium esse, si res in se spectetur, ex ipsa natura rei id sequi omnino. Sequitur namque: Episcopatum formaliter sumptum, utpote potestatis ecclesiasticae verum ac legitimum ministrum, dum hac potestate utitur, et ante, et post definitionem, debere cum altero subjecto, qui est Papa, idem sentire omnino, idem agere, et idem docere, in omnibus quae essentialiter hujus potestatis sunt. Secus enim aut potestas esset duplex: quae non est; aut Papa eam non unus, neve personaliter, neve independenter administraret: administrat vero; aut tandem Episcopatus non esset, ante definitionem etiam, hac eadem potestate directe a Deo insignitus, eamque jure suo pariter administrans, id est, non esset formaliter Episcopatus: est etenim.

Omni hac in causa permagni refert iterum iterumque considerasse: et Papam et Episcopatum tenere potestatem, qua potestas est, id est, quantum ad ejus essentiam spectat, directe a Deo, et Episcopatum, solum qua exercitium adtinet, tenere potestatem dependenter a Papa. Quod si ita est, Episcopatus non extrinsecus a Papa, sed intrinsecus a Deo movetur ad potestatem exercendam, et eodem modo movetur quo et Papa, hoc solo discrimine servato: aliquos ex Episcopatu posse deficere, Papam

vero non posse. Omnis haec causa in plenissima luce collocabitur si supponatur hujusmodi rerum perpetua conditio, in qua Episcopatus, sicut unam cum Papa tenet, a Deo sibi collatam, potestatem; ita in exercitio ejus semper cum Papa unum sapiat et in unum conspiret: idem cum eo docens, idem sentiens, idem agens, non solum post, non solum etiam ante definitionem, sed omnino ante qualemcumque quaestiunculam. Certe hic esset perfectissimus status, ubi re compleretur tota hujus causae ratio: ubi potestas non solum in se ipsa intacta remaneret, sed in exercitio etiam ne specietenus quidem vitio hominum turbaretur; ubi non solum nullum esset dissidium aut dissidii timor, sed neque expostulatio ulla contra Papam; ubi nulla esset querimonia de dependentia, quam Episcopatus ne sentiret tunc quidem. Tum enim vero Episcopatus esset semper idem formaliter qui et materialiter, et uteretur plenitudine potestatis, directe sibi a Deo collatae, sine ullo impedimento et commotione. Haec potestas, quum in exercitio semper eodem modo ministraretur ab Episcopatu juxta et a Papa, ita sociaret in unum utraque, quae eam ministrant, subjecta, quemadmodum unus visus utrosque oculos, unus auditus utrasque aures, una vox labia consociat utraque, parum certe de hoc sollicita utrum eorum inferius sit vel superius. Num non egregie ex hac suppositione intelligitur proba, regularis, ac plena totius hujus rei conditio?

At enim vero haec ipsa est quam, ut de facto sit, rei natura reclamat; adeo ut si eam de facto non condidit Deus, alio saltem modo debuit naturae rei

prospicere. Prospexit etenim, qui opus suum non poterat deserere Deus. Illa omnibus numeris absoluta in exercitio potestatis uniformitas, quam natura rei reclamat, non est vana suppositio, aut pium inutile desiderium; sed revera inter Episcopatum et Papam existit. Unum punctum tantummodo mutatum est: Episcopatus videlicet non est sumendus materialiter; sed tantum formaliter.

Quare nunc si hoc utrumque consideretur: et rei naturam talem uniformitatem repetere, et fieri non potuisse ut essentiale aliquid Deus in Ecclesia re non complesset; fatendum est omnino: eum solum Episcopatum talem esse formaliter, qui, ad mentem propositi a nobis principii, non solum post, sed etiam ante sollennem definitionem, cum Papa in unum conspirat.

Haec veritas, quamquam theoretice omni exceptione major, potest tamen in praxi aliquam movere difficultatem. Quare distinguendum est, et quidem dupliciter.

Alia distinctio erit inter causam in qua Papa suam sententiam adhuc tenet suspensam, et inter causam in qua jam tulit sententiam magis minusve definitam.

Alia vero distinctio erit omnino inter universum Episcopatum et inter singulos Episcopos, pro diversa ratione qua formaliter in suo loco constituti censendi sunt.

Primum quod adtinet, si Papa causam non definivit, integra sine dubio manet. Tunc et Papae,

et Episcopatui, aequum jus est sententiae dicendae, servatis de quibus superius agebatur conditionibus. Hoc passim fit in Conciliis Oecumenicis, ubi Papa sententiam suam tenet suspensam, et Episcopatui dat locum ut suam dicat. Omnino rei naturae convenit hoc genus tractandi Episcopatum: nam qui secundo loco potestatem tenet, decet ut primo loco sententiam dicat: et ideo ut honore aequiparetur, et ideo ut auctoritate ne detrusus dicatur. Quo in negotio Papa primus est qui Collegae jura sarta tectaque servat; atque universa Conciliorum historia nihil aliud exhibet, nisi longum et luculentissimum testimonium quoad ejus fuerint Summi Pontifices solliciti ut Episcopatus majestatem, quin deprimerent, attollerent potius; et in sua sede collocarent. Neque aliter facere poterant, aut timendum est ne faciant: Spiritu namque Dei aguntur. Etenim probe norunt: quaecumque esse possint inter Episcopos intestina dissidia, quaecumque partium studia, semper adesse illam partem Episcoporum (quam majorem etiam numero, et maximam fore Dei gratia confidunt), qui formaliter est Episcopatus; et hunc verum Episcopatum, potestatis divinae subjectum, tuentur, suspiciunt, immo et venerantur. Quamobrem ex parte Summorum Pontificum semper obtinuit et obtinet ille agendi modus, qui rei divinae naturae convenit; cujus etiam insigne exemplum hoc ipsum praesentat Concilium Vaticanum, ubi gravissimae quaestiones et causae, tametsi jam a Pontificibus et ab ipso Pio IX. ex parte definitae, tamen novae revisioni et approbationi Concilii exhibitae sunt; non certe ut de

veritate latarum definitionum dubitetur, sed ut sacra Episcopatus auctoritas affirmetur denuo, et illa potestas quae ei divinitus data est, actu etiam exerceatur; eo vel magis quod et hujusmodi exhibitae sint quaestiones, causaeque, quae nullo modo definitae sunt; et in quibus Sacrum Concilium sententiam suam dicturum est primum.

Sed ad propositum veniamus. In his itaque in quibus Papa sententiam suam tenet suspensam, nihil prohibet, et omnia jubent: ut universus Episcopatus idem censeatur formaliter qui et materialiter, et ut sententiam suam ad arbitrium dicat, id est quemadmodum suggestum ei fuerit a Spiritu Sancto; quem si singuli Episcopi audiissent, sententia dubio procul unanimis panderetur.

Verum si de illis agitur quae aliquo modo a Pontifice jam definita noscuntur, iterum distinguendum est, seu ut ajunt subdistinguendum. Aut enim definita sunt dogmatice, et de fide sunt; aut alio certitudinis et probabilitatis gradu. Si primum; quidquid dicant partium extremarum causidici, quos inter domesticos adversarios vix, aut nullo modo, adnumerare possumus (sunt tamen!), quidquid contendant in gratiam illius juris quod Episcopatus haberet consentiendi, vel non consentiendi, in hujusmodi definitionem; aut vehementer fallimur, aut iis omnibus quae exposita sunt et probata, multo plus quam opus esset, refutati sunt. Tum enim Papa non esset illud distinctum potestatis ecclesiasticae subjectum, quod unum, et personaliter, et independenter hanc potestatem exercet, plenam inquam et integram potesta-

tem Apostolorum Petri et Pauli, suam simul et Episcopatus universi, quae est una eademque potestas. Sed vero est, et exercet, et stat quod definivit. Itaque certo certius pars illa Episcopatus quae non consentiret, ad formalem Episcopatum nulla ratione pertineret.

Si vero alterum, si causae illae sunt minori ac dogmatica sanctione definitae: res ad tempus in medio relinquitur, et maxime eam ob causam, quod forte non satis exploratum sit quoad ejus Papa ipse auctoritate sua sit usus; aut id etiam, an non sit ex parte aliqua sententiam suam reformaturus, quae supponitur non ultimo definita. Quamvis hic etiam ex gradu certitudinis sententiae gradus officii in obsequio dimetitur. Sed vero causa haec ejus generis est, ut ad illam aliam recurrendum sit distinctionem, quam secundo loco instituendam superius praemonuimus.

Secundo igitur distinguendum est inter Episcopatum et singulos Episcopos, id est inter rationem qua singuli dicendi sint formaliter Episcopi, et rationem qua universus formaliter dicitur Episcopatus. Varium est enim utriusque rationis genus.

Quod ad singulos Episcopos spectat, causa magis est integra et latior regula. Etenim haec est causa personae, ejus criminis vel integritatis. In hujusmodi autem causa usum obtinet regula negativa: nempe nisi quis reus probetur, innocens judicatur. Accedit, quod ante definitionem de certitudine rei non ultimo constet, et in causa personarum etiam bona fides pensanda sit. Potest itaque quivis Episcopus ante

definitionem in nonnullis contradicere, quae tamen essentialia et necessaria non sint, oportet; potest sententiam suam etiam falsam, quam veram putat, cum debito moderamine et extra Concilium et in Concilio proponere et defendere; potest haec inquam, quin desinat legitimus et formaliter verus Episcopus esse. Tota causa ad interiorem potius pertinet forum; et solus Deus novit quanti eorum, qui extrinsecus ad formalem Episcopatum pertinere censentur, intrinsecus sint, ante definitionem etiam, ejusdem exsortes; nisi bona fide excusentur, quam post definitionem submissione integra probabunt.

Quod vero ad Episcopatum universum pertinet, causa strictior est, et regula exactior. Causa est enim Collegii et Magistratus ex officio agentis: ideoque non criminis causa est, sed officii; in qua non sufficit nihil fecisse iniqui, necesse est omnia ex lege fecisse. In hujusmodi causa usum obtinet regula positiva: nisi bonus probetur, reus judicatur. Quae regula eo opportunius et securius in hac causa adhibenda est, quod in Conciliis Oecumenicis, in quibus Episcopatus loco suo comparet, non agatur, ut plurimum, nisi de rebus essentialibus et necessariis; quae licet nondum sint definitae, nihilo tamen minus essentiales et necessariae sunt. In necessariis vero et essentialibus Episcopatus, qui formaliter talis est, omni dubio procul etiam ante definitionem, etiamsi nondum sint definitae, unum omnino idemque cum Papa non sentire non potest.

Ex quo sequitur: Episcopatum formaliter sumptum in his etiam quae nondum definita sunt, vel

a Papa ex parte tantum majori minorique sanctione firmata, siqua necessaria et essentialia aliquando tandem probabuntur, inde jam ab initio, et longe ante definitionem, in omnibus unum omnino cum Papa sentire; Episcopatumque etiam dispersum, in exercitio potestatis, in his etiam eamdem cum Papa semper sequi rationem.

Et hoc est quod in principio asseritur.

Quisquis legentium, dummodo rationem in hac disputatione institutam attente sequutus fuerit, et principia omnia una cum conclusionibus aequa trutina perpendere non sit dedignatus, nunc reor una nobiscum et perspicit, et confitetur, certa omnino esse haec duo.

Primum quidem: Papam, qui semper formaliter est Papa, neque potest unquam non esse Papa formaliter. eo ipso non posse unquam officio suo deesse in essentialibus, et a vera ratione potestatis in exercitio ejus deficere. Alioqui labente persona, caderet ipsum principium essentiale, quod simul personale est, et cum ipso rueret quoque ipsa substantia Ecclesiae.

Alterum vero: Episcopatum, qui non necessario idem est formaliter qui et materialiter, eo ipso posse (quod Deus avertat, quodque eventurum probabile non est, quod tamen non est impossibile) officio suo deesse vel ex aliqua parte, vel etiam ex majori; et a vera ratione potestatis in exercitio ejus deficere. Id vero eo vel magis non est impossibile, quod labente etiam majori parte Episcoporum, non caderet ipsum

principium essentiale; quum minor etiam pars formalem Episcopatum satis repraesentaret; ac proinde nullo modo tunc rueret Ecclesiae substantia.

Haec duo, inquam, evidentissima sunt. Quid inde sequitur statim videbimus. Nunc tamen unum adhuc verbum de hac possibili, ex quantavis parte, ruina Episcopatus.

Ex ipsa natura rei luculenter apparet: ex defectione cujusvis partis Episcoporum Ecclesiae substantiam nullatenus destructum iri. Porro naturae rei suo testimonio historia opitulatur praeclare: sufficit hic vel solum immane illud schismatis Graecorum exemplum citasse, ubi ingens Ecclesiae pars cum omnibus Episcopis, qui probabiliter et numero vincebant, officio defuit, et ab exercitio potestatis misere defecit. Ecclesiae tamen substantia ne commota quidem est, et Episcopatus formaliter sumptus profecto non disparuit, quinimo purior inde et vegetior exivit.

Quando, Deo adjuvante, historice hanc causam tractabimus, speramus id efficere, ut hoc uno exemplo schismatis Graecorum, theoria gallicana, ex suis propriis principiis, funditus evertatur. Sed et nunc omnino patet ingentem numerum Episcoporum a formali ratione Episcopatus deficere posse, quin ipse Episcopatus deficiat.

Sed hic ad ultimum luculenta apparet ipsa ratio rei. Non est autem alia, nisi ipsa institutio Christi. Christus pro Petro, id est pro Papa oravit ne deficiat, et non deficit; Christus pro Apostolis, id est pro Episcopis, non oravit ne deficiant, et deficiunt.

Sed apparet ipsa etiam ratio rationis hujus, et institutionis Christi.

Oravit pro Petro et Papa, quia necessarium erat: eo namque labente, Ecclesia ruebat ipsa.

Non oravit pro Apostolis et Episcopis, quia non erat necessarium. Cadant sicut steilae de coelo, coelum non ruet, et Ecclesiae substantia non commovebitur.

Etenim Deus superflua non facit. Ubi unum miraculum sufficit, miracula non multiplicat. Uno verbo creavit rem quamque, alterum non adjecit. Non erat necessarium.

Sunt qui de miraculo clamant, quum Papam infallibilem audiunt. Age, sit miraculum; ast unum est. Quanta autem putas miracula necessaria futura fuisse ut Episcopatus pari modo non deficeret? Hoc ex illis maxime scire vellem qui unanimem consensum pro lege inducunt.

Non ita instituit Christus, non ita clamat rei natura, non ita nos docet rerum gestarum historia.

Quamobrem omni securitate hanc ponere possumus conclusionem.

Conclusio septima.

Quum Papa personaliter a formali sua ratione, ac proinde a potestate, et in essentialibus a recta ratione in exercitio ejus, praesertim vero a fide nunquam deficere possit; Episcopatus autem materialiter sumptus possit a formali sua ratione, qua Episcopatus est, et a fide etiam, idque ex majori numero

parte deficere; fieri potest (nisi altissimum consilium Dei, de quo non constat, appelletur), ut in aliquo puncto temporis, Episcopatus formaliter spectatus sit etiam minor numero pars Episcopatus universim sumpti; proindeque iterum iterumque firmatur haec regula: unitatem cum Papa in omnibus unicam esse notam, qua discernatur quis Episcopatus sit formaliter talis.

Haec itaque est vera ratio qua Episcopatus in sua formali ratione constituitur. Quae si accuratius perpendatur, tantum abest ut exinde Episcopatus amplitudo extenuetur, aut etiam omnino minuatur, quemadmodum perperam opinantur gallicanae doctrinae patroni; ut potius evehatur, et multo solidius firmetur, quam ne ipsa quidem efficere valeat theoria gallicana. Ad mentem namque hujus theoriae, quum Episcopi potestatem in solidum teneant cum Papa, pars tantum potestatis eis conceditur; hic vero totam possident. Ibi pars potestatis quam Episcopatus tenet minor est, ipsis adversariis fatentibus (1), hic quia integra est potestas, aequalis est omnino. Ibi subjectum ipsum, nempe Episcopatus, quum in eadem ratione subjecti cum Papa constituatur, gradum ipsi cedere debet, et dubio procul diminutus comparet; hic, quum sit distinctum subjectum, tota sua plenitudine et auctoritate gaudet. Profecto, alia

(1) Confer illam sententiam adversariorum quam initio libri adduximus, et quae tota nostra disputatione confutatur.

hic est omnino Episcopatus conditio et supra modum aucta amplitudo. Tantum prodest veritatem servasse: quae dum in speciem demittere videtur, revera sublevat; tantum obest errorem coluisse: qui dum extollere creditur, opprimit et dejicit.

Nihil ergo timeant adversarii nostri, et potius veram rationem Episcopatus discant et teneant. Episcopatus formaliter sumptus distinctum est potestatis ecclesiasticae totius subjectum, et hoc quidem non adverterunt. Est in Ecclesia essentialis et necessarius, non solum in quantum est necessaria conditio ipsa et dignitas Episcoporum, sed in quantum est Collegium et Magistratus; et hoc nunc melius assequuntur. Est a Deo ipso directe potestate donatus, proindeque proprio jure gaudens: et hoc sicut tenuerunt, ita nunc possunt tanto securius tenere; hujus solius tantum non obliti: quod si Episcopatus immediate habeat potestatem a Deo, exercitium tamen ejus mediate a Deo, et immediate a Papa teneat et administret. Est denique Episcopatus in exercitio ipso non delegata, sed sua propria auctoritate utens, proindeque non est Vicarius Papae, sed Collega; et hoc si nunquam non asseruerunt, nunc etiam ex vera ratione aestimare et firmare possunt. Nihil est igitur, quod timeant: plus lucri faciunt quam re quaerebant et spe aestimabant.

Unum tantum amiserunt sine spe ulla: aliquando futurum esse, aut fieri posse, ut verus Episcopatus inveniatur in dissidio cum Papa. Ast hoc certe non dolebunt. Immo, si boni et aequi sunt, summopere gaudebunt in Opere divino servatam esse divinam

legem: Ut unum sint! Ut non unum esse non possint!

Verum quidem est, neque hoc possumus silentio praeterire, nonnullos ex gallicanae sententiae acrioribus patronis ita esse studio partium abreptos, ut hujusmodi fatalem diem semper praesentem ante conspectum habeant, de hoc solliciti uno, quomodo remedia parent, ut Ecclesiam incolumem servent; nihil melius se facturos rati, quam quum Episcoporum auctoritatem in infinitum augeant. Hoc tamen in negotio suum produnt ingenium; facile est enim ex eorum rationibus conjicere: eos non tam hujusmodi fatalem horam avertere, quam potius praejudicatam suam causam firmare velle; et illum casum fingere potius, quam timere. Stimulus tanti studii, alte animo infixus, illa tenax voluntas intelligitur, qua Episcoporum praeoptatam auctoritatem tota vi ac nisu affirmare contendunt.

Sed haec est eorum ratio, qui veluti sui obliti, magis se abripi passi sunt; omnes tamen boni et aequi certe non dolebunt, quum semel perspexerint omnem timorem discidii penitus evanescere, neque omnino opus esse ut Episcopatus tam infinita, tam insolita, tam rei naturae contraria auctoritate donatus temere et inutiliter asseveretur. Melius est profecto ut habeat omni tempore id quod suum est, quam ut una hora, quod non suum est, per nefas tenere videatur.

Id vero quod suum est jam probe scimus, et non erit inutile distincta formula enuntiasse.

Scholion.

Episcopatus formaliter sumptus illis omnibus conditionibus nihil amittit, et omnia servat. Ostenditur enim plenum ecclesiasticae potestatis alterum subjectum: proindeque etiam distincte a Papa, licet relative, est in Ecclesia essentialis et necessarius; est non delegata, sed propria potestate utens, a Deo sibi immediate donata; est denique, tametsi exercitium potestatis habeat mediate a Deo et immediate a Papa, etiam in exercitio non Papae Vicarius, sed Collega, quod pro rata parte, et in singulos Episcopos redundat.

Haec certe amplissima sunt. Diximus porro et in Episcopos redundare. Nam quum omnes teneant potestatem Episcopatus in solidum, singulorum quisque totum Episcopatum in se unus quodam modo repraesentat. Potestas enim haec una est: et quemadmodum ad ejus unum actum singuli concurrunt, ita vice versa hic unus ejus actus in singulos redundat, et integer plena sua vi in singulis et per singulos affirmatur. Hoc certe de illis intelligitur qui ad formalem rationem Episcopatus ex omni parte pertinent.

Animadversio

de Vicariis Apostolicis.

Quaestiuncula hic oritur de Vicariis Apostolicis, quae et ipsa ex occasione Concilii Vaticani non fuit neglecta.

Profecto, ut quis ad actum potestatis concurrat, necesse est ut eam participet prius. Sed Vicarii Apostolici ex his iisdem principiis que proposuimus, videntur vera potestate episcopali carere, quum haec potestas non sit delegata a Papa, sed proprio jure teneatur; Vicarii autem Apostolici vel ipso nomine suo, sed et re etiam, vicaria tantum auctoritate gaudeant.

Attamen simplex distinctio difficultatem omnino removere videtur. Qui nunc enim Vicarii Apostolici vocantur duplicem habent characterem; nam censetur imprimis Episcopi verae alicujus sedis in partibus infidelium; deinde vero sunt administratores provinciarum ecclesiasticarum sub nomine Vicariatuum Apostolicorum constitutarum. Profecto, pro hoc altero charactere vicaria tantum pollent auctoritate, sed pro illo primo praediti sunt sine dubio potestate ordinaria. Alterum vero alteri non repugnat. Nam statim ut suam ordinariam potestatem exercere prohibentur, nihil impedit quominus alia delegata provideantur. Certe illa priori neutiquam exsortes fiunt.

Creabantur aliquando in Ecclesia Episcopi cum solo charactere episcopali, sine ullo titulo alicujus dioeceseos. De his jure merito poterat esse dubium an potestatis, qua Episcopatus gaudet, participes essent. Sèd de Episcopis in partibus infidelium nullum omnino dubium jure moveri potest. Ipsa Ecclesiae agendi ratio in illorum creatione evidenter ostendit, quam vere eos judicat ordinaria potestate praeditos esse. Jubentur enim dispensationem a Sede Apostolica quaerere ne ad plebem sibi commissam accedere

cogantur. Nisi verum esset ordinariam ipsis potestatem collatam, jocus hic esset et ludus; Ecclesia vero neve illudit, neve jocatur. Habent igitur etiam ordinariam potestatem, qui nunc Vicarii apostolici vocantur, et si ceteris conditionibus satisfecerint, ad Episcopatum formaliter consideratum jure merito pertinere dicendi sunt.

Et haec ex limine, sed satis ad propositum.

Ultimo loco de ipsa infallibilitate sententiam proferre disputationis totius ratio postulat. Est autem haec res nullius jam fere negotii post illa omnia quae dicta sunt, et statim possumus proponere quid de eadem sentiendum sit.

Principium octavum.

Papa, potestatem Magisterii ecclesiastici exercens, et docens quid ex divina ratione sit Verum, Bonum, et Justum; seu ut ajunt: in omnibus quae ad fidem et mores spectant, etiam distincte ab Episcopatu (quod non est separate), unus, personaliter, et independenter, pleno jure et infallibiliter judicat, docet, ac sancit, seu ut brevius dicitur: INFALLIBILIS EST.

Explanabimus imprimis sensum propositionis.

Dum igitur dicimus: *potestatem Magisterii ecclesiastici exercens,* idem intelligimus quod communiter asseritur illa formula: *ex cathedra.*

Quando addimus: *ex divina ratione;* intelligi-

mus in genere revelationem; sed hac latiori formula attingimus significationem seu sensum etiam revelationis, nec non conclusiones quae ex revelatione recta deducuntur.

Quum ponimus: *Verum, Bonum, et Justum,* objectum ipsum idque plenum ponimus hujus potestatis Magisterii, quod recte illa alia etiam formula enuntiatur: *in omnibus quae ad fidem et ad mores spectant;* nisi quod in hac formula nomen *morum* latius accipiatur, et sit veluti genus quod duas species in suo significatu contineat: *Bonum* videlicet, et *Justum.* Tametsi enim haec duo promiscue sumantur, tamen si accuratius considerentur, distinguuntur etiam. *Bonum* refertur tunc magis ad mores uniuscujusque privatim: quid cuique proficiat vel officiat fecisse; sobrium verbi gratia vel immoderatum esse, suum cuique tribuere vel injuriam inferre, parentes colere vel posthabere. *Justum* autem magis ad publicam rationem, et ad gubernationem (quam etiam disciplinam ajunt) referri videtur; verbi gratia, lege statuere: haereticis anathema esse dicendum, Ecclesiam jus habere per vim etiam rebelles coercendi, et alia id genus. Porro in his etiam, quemadmodum et in illis, potestas supremi Magisterii eamdem conditionem servat: et quando jus lege exsequendum pronuntiat, jus infallibiliter affirmat; quod utrumque si satis enuntiatur illa formula: *ad mores;* evidentius explicatur hac altera: *Bonum et Justum.*

Diximus deinde: *distincte ab Episcopatu (quod non est separate).* Patet autem illud: *distincte,* nos posuisse pro illa ratione qua Papa distinctum est

potestatis ecclesiasticae subjectum. Sed quia ita est distinctum, ut sit etiam relativum: ideo addidimus: hoc non significare: *separate*. Ratio rei omnibus nunc patet. Longe autem lateque a verae doctrinae assertoribus expositum et probatum est: Papam nunquam in suo infallibili magisterio exercendo separate ab Ecclesia, et etiam ab Episcopatu, egisse vel agere. Imprimis enim Papam cum omni antiquitate et veneranda traditione intima necessitudine conjunctum esse; tum vero et cum Episcopatu sui temporis, licet disperso, quotidianam consuetudinem colere, ejusque vota et sententias perspectas habere; tum denique corona Patrum conscriptorum et doctorum eminentium circumdatum esse, eorumque consilio et testimonio gnaviter uti: in propatulo positum est. Non agit itaque separate ab Ecclesia; quin potius ex ipsa natura potestatis suae, quae relativa est, necessario et semper agit intime cum Episcopatu et Ecclesia conjunctus. Hanc adversarii dependentiam vocant, et in infinitum auctam vellent; nihilominus relatio est tantum, et suis finibus continetur.

Deinde etiam diximus: *unus*, quod non significat *solum;* quum ad latus unius possit esse et alter: ut hic revera est Episcopatus; sed significat: hoc altero non obstante, per se unum etiam tenere plenam potestatem.

Tum adhuc: *personaliter et independenter;* de quibus conditionibus, tametsi alias maxima, tamen nunc neve minima potest esse controversia. Pro ratione enim distincti subjecti, Papa sicut summum jus et omnem potestatem tenet plenissime, persona-

liter et independenter, sic etiam eodem plenissimo modo possidet et exercet hoc jus particulare et hanc specialem potestatem Magisterii; quae a summo jure ac potestate separari non possunt. Tenet igitur personaliter et independenter. Secus enim non esset, saltem ex hac parte, id quod est: primum principium Ecclesiae; et Ecclesia sine suo principio certae propediem ruinae exposita, aut potius jam vixisse dicenda esset.

Tum denique asseruimus: *infallibiliter judicare, docere et sancire;* nam haec tria requiruntur ut sit plena infallibilitas: nempe ut Papa eodem infallibili modo et de sententia judicet, et eam dicat, et tandem sanciat. Quod vero ipsam infallibilitatem ejusque rationem adtinet, nunc prorsus nulla dubitationis est causa aut occasio. Constat enim inter nos et adversarios: Ecclesiam a Deo donatam fuisse vere infallibilis Magisterii jure; nunc autem non constare non potest Papam unum distincte, personaliter et independenter pleno hoc jure gaudere. Si igitur Ecclesia infallibilis est, infallibilis etiam est Papa.

Immo vero, accuratius et plenius causam tractemus, et pleniorem ac justiorem feramus sententiam. Papa, ita ut diximus: unus, distincte, personaliter atque independenter, est primum principium Ecclesiae. Omnis autem causa et res ex suo principio pendet. Si itaque Ecclesia infallibilis est, ideo est quia infallibilis est Papa, ita unus, distincte, personaliter atque independenter. Haec tandem sententia sola est justa.

Exposuimus itaque significationem propositionis assertae, sed una simul et probavimus eam.

Animadversio

de sententia Papae ex Cathedra.

Quaestio, siqua adhuc superesset, haec sola superesse intelligeretur quae in conditiones inquirit, quibus certo constet Papam revera loquutum fuisse *ex cathedra*, seu ut diximus: jus suum Magisterii exercuisse.

De his conditionibus disceptatur acerrime. Adversarii ejusmodi conquirunt atque accumulant conditiones, ut satis prodant id se consilii cepisse: ut vix, aut ne vix quidem internoscatur unquam, Papam loquutum esse ex cathedra. Justae doctrinae tenaces et ipsi aliquantulum haesitant, at verbis potius, quam re ipsa, inter se non convenire videntur. Rei autem natura modo exposita quum omnem ambiguitatem tollere, tum etiam cum communi sententia egregie consentire videtur.

Sententia ex cathedra, qua Papa plenum ac summum jus Magisterii exercet, ex natura sua, siquidem sententia sit, est certe actus sui generis; siquidem vero ex cathedra sit, est actus publicus.

Sententia porro est ejusmodi actus ut his tribus perficiatur: judicio, enuntiatione, et affirmatione. Publicum autem esse actum, nihil aliud est certe nisi ut omnibus notus possit esse, et revera sit. Necessarium itaque erit ut de his tribus conditionibus, in sententia illa ferenda re ipsa completis, inter omnes, quorum hoc interest, publice constet.

In sollennissimo itaque illo actu, qui est senten-

tia Papae ex cathedra primo loco venit conditio ut ipsum judicium sit publicum. Et huc spectant: studium adhibitum, consilia quaesita, preces etiam et supplicationes ad Deum missae eo fine ut hic actus summi Magisterii rite peragatur; vel ipso Spiritu Sancto publice, ut ita dicam, judicium et sententiam praeformante.

Deinde venit conditio ut rite fiat enuntiatio. Ubi non solum declaratum venit quid doceatur et definiatur; sed potissimum intelligitur declarandus modus etiam: nempe declarandum esse Papam docere et definire ex potestate summi juris Magisterii; quae quidem intentio aperte enuntianda de necessitate supponitur: pertinet enim ad publicam rationem actus.

Tum denique venit ultima affirmatio, et haec in sanctione consistit, quo gradu certitudinis res credenda, et quid poenae non consentientes subire jubeantur. Quae sanctio ut plurimum censuris firmatur, et ad publicam rationem et sollennitatem actus certe requiritur, eaque veluti ultima manus operi imponitur.

Hujusmodi conditiones ex ipsa natura rei liquent omnes; quae si penitius inspiciantur, hanc nobis dabunt simplicissimam formulam.

Regula, qua judicari debet sententia Papae ex cathedra, unam requirit conditionem quantum ad essentiam actus, hanc nempe ut sit revera actus summi juris Magisterii; deinde triplicem postulat veluti conditionem modalem, quae totidem sunt notae ex quibus constat illum esse revera actum summi juris Magisterii: primo quidem ut praeparetur uti talis,

deinde vero ut uti talis publicetur, tum denique ut uti talis sanctione confirmetur.

Quae quum ex ipsa naturae rei profluant, sua etiam evidentia se probant.

Ubi tamen hoc forte notare juvabit: totam essentiam sententiae ex cathedra in eo consistere: ut sit actus publicus summi juris Magisterii; et illas alias conditiones nonnisi notas esse, quibus de ejus natura et charactere certo constet. In tantum igitur necessariae sunt, in quantum sine ipsis de hoc charactere non certo liquet. Possunt igitur, ut plurimum, omnes esse necessariae; at etiam fieri potest ut aliquando non sint necessariae omnes. Essentia rei sola semper est necessaria, et in hac causa in eo est posita: ut sententia ex cathedra sit revera actus publicus summi juris Magisterii, et ut de hoc ejus charactere certo constet.

Quam autem partem in infallibili Ecclesiae Magisterio Episcopatus habere dicendus est? Et haec quaestio nullum jam facessit negotium, et sine mora respondere possumus: Eamdem omnino habere quam et Papa ipse, iis de quibus jam satis liquet conditionibus servatis. Hae autem speciales intelliguntur esse conditiones:

1°. Ut ille Episcopatus, qui formaliter tantum talis est, exercitio hoc utatur. Et huc spectat exclusio schismaticorum et haereticorum ab exercitio potestatis Magisterii, et etiam illa possibilitas, qua contingere potest ut aliquis numerus Episcoporum,

eorum qui nomine tantum inter formalem Episcopatum computantur, ab ejus ratione re vera excludatur. Hunc, quis sit, rei eventus patefaciet.

2°. Ut Episcopatus, utpote in munere suo secundus, et in exercitio ejus dependens, non exerceat suum munus sine Papa. Et huc refertur jus, Papae soli propriūm, convocandi Concilia.

3°. Ut Episcopatus, qui etiam in Concilio non solum dependens est, sed possit esse non idem formaliter, qui et materialiter; sententiam suam Papae submittat. Et huc pertinet confirmatio Papae.

Hae sunt conditiones essentiales.

Ad confirmationem Papae quod adtinet, ultro perspicere possumus ex his ipsis conditionibus quae sit ejus natura. Ante omnia namque est signum exterius et nota, qua dignoscitur quis fuerit formaliter Episcopatus, qui sententiam tulit, et quae lata sententia sit revera lata ab Episcopatu formaliter sumpto. Insuper etiam, et secundo loco, est actus proprius, quo hoc alterum potestatis subjectum, id est Papa, pro se, sententiam fert, et sententiae illius alterius, nempe Episcopatus, hanc suam adjungit.

Hujusmodi distinctiones subtiliores forte videbuntur; attamen rei natura apertius declarata, et ipsae quemadmodum necessariae, ita etiam et evidentes, non apparere non possunt.

Diximus confirmationem Papae esse notam, qua internoscitur sententia illius Episcopatus qui formaliter est talis. Nam si notae requiruntur quibus constet Papam loquutum esse ex cathedra; non minus sunt profecto necessariae similes notae, quibus certio-

res fiamus et Episcopatum ex sua cathedra loquutum esse. Sed enim materialis concursus Episcoporum, et materialiter quantavis sollennitate prolata sententia, hujusmodi nota non est. Sufficiens haec erat pro Papae sententia, qui semper idem est formaliter qui et materialiter, et sententiam dicit independenter; non sufficit vero pro Episcopatu: qui et potest non semper esse idem formaliter qui et materialiter, et sententiam non dicit independenter. Quapropter nulla alia potest nota adesse, qua certo sciatur Episcopatum loquutum esse ex cathedra, nisi haec sola: confirmatio Papae; et id quidem ex ipsa atque intima natura rei.

Haec autem confirmatio non solum est hujusmodi nota, sed est insuper actus verus et proprius summi magisterii quod tunc exercet Papa. Nam si Papa pro sua parte possit dicere sententiam independenter, Episcopatus tamen id non potest; idcirco quoties id facit, quum Episcopatus suam sententiam semper dicat dependenter, Papa non potest eam in medio relinquere, et debet ei adjungere suam. Hic autem actus Papae suam plenam et propriam rationem sequitur: est videlicet actus exercitii illius juris, quod est summi magisterii jus, Papae distincte, personaliter, et independenter proprium. Est igitur actus distinctus in quantum ad exercitium juris, licet unus idemque in quantum ad substantiam rei.

His ita explanatis, possumus rem omnem concludere sententia ultima de partibus, quae Episcopatui competunt in jure infallibilis Ecclesiae magisterii.

Conclusio octava.

Episcopatus formaliter sumptus, potestatem magisterii exercens, utpote alterum et distinctum potestatis ecclesiasticae relativum subjectum, in iis omnibus in quibus et Papa, et etiam distincte a Papa (quod non dicit independenter), proprio jure et infallibiliter judicat, docet, et sancit; seu: INFALLIBILIS EST; *ejus tamen sententiae debet accedere Papae confirmatio; tum sicut nota: Episcopatum esse loquutum revera ex cathedra sui magisterii; tum sicut actus proprius magisterii Papae, ut actui dependenti jus absolutum tribuat.*

Haec sunt jura quae, ex natura rei ipsius, Episcopatui sine ulla controversia hac in causa competunt; hae partes ejus in Ecclesiae infallibili magisterio.

Deo adjuvante rem ex hac parte absolvimus, pro eo ut tempus et ratio propositi tulit. Non possumus tamen abire quin prius causam aperiamus quae nobis potissima videtur cur tanta animorum perturbatio et tot lites exortae sint; et quae, si aliquando e medio tollatur, malo remedium paratum erit.

Haec causa nulla alia intelligi potest, nisi quod sacrosancta haec et divina res non ex aeterna et divina ratione aestimetur. Ex hac enim ratione potestas ecclesiastica, de qua maxime disquiritur et disceptatur, censeri omnino debet non solum divinitus data Ecclesiae; sed omni dubio procul divinitus etiam administrata et in exercitio directa. Hoc autem, hoc inquam non attenditur, et ex humanis, eheu! rationibus omnis haec causa exercitii potestatis pensatur et judicatur.

Res tamen est evidens, et sicut ipsum lumen divinum, nitida et serena. Deus, qui Ecclesiae dedit potestatem, ipse eam et administrat; et sicut natura ejus ad instar est potestatis divinae, ita etiam et ejus exercitium. Una igitur potestas, et exercitium unum. Idem Spiritus Sanctus eadem assistentia sua adstat Papae, et Episcopatui adstat; adspirat illum (1), et hunc adspirat; movet illum, et hunc movet. Quomodo actio

(1) Hoc vocabulo usus est Pius IX in Bulla dogmatica de Immaculata Conceptione Beatissimae Virginis Mariae.

non erit communis, quomodo una eademque non erit? Eccur igitur tam modica fides? Cur timores, suspiciones, cautelae, humana auxilia? Cur irae etiam et partium studia? Cur ipsa bella, et in sacris ac divinis rebus, non sacra et non divina discordia?

Semel enim posito potestatem Ecclesiae a Deo ministrari, et Spiritum Sanctum eodem modo movere utrumque potestatis hujus subjectum, quod non admittere impium prorsus ac blasphemum esset; statim sequitur hoc fidei decretum: Papam, qui pro divino promisso, pro officio suo personali, pro rei ipsius natura deficere non potest, quin ipsa Ecclesia ruat: nunquam etiam ab eodem Spiritu Sancto desertum iri, aut non ita moveri ut falli non possit; ex altera vero parte Episcopatum, qui aequo jure necessarius est in Ecclesia, nunquam etiam a Sancto Spiritu deserendum ita, ut non moveat eum idem Spiritus eodem modo quo et Papam, et non efficiat ut revera adsit illa formalis pars, quae simul *totum* erit, et quae libera et plena voluntate actionem Spiritus Sancti suscipiens et adjuvans, *eo ipso* idem semper sentiat quod et Papa; et nunquam cum illo in discidium veniat, aut venire possit. Qui de hoc dubitat, de Ecclesia desperavit; sed etiam et de Deo.

Verum enim vero qui in hac fide stat firmus, curam abjecit et ridet procellas. Non eum corripit humanus timor, non quaerit unquam humana auxilia, non terrena perturbatione commovetur. Non sunt enim humanae rationes quae eum circum circa agunt; sed quae eum firmat, aeterna est et divina ratio. Huic innixus, stat in fido littore; et quo majori tempe-

state in alto mari humanarum rationum jactatos videt et dolet alios; eo magis fide gaudet se ad hanc tutam petram recepisse, ad hanc aeternam et divinam Ecclesiae rationem; quae petrae similis a Christo Ecclesiae suae datae, sicut illa contra inferorum portas, sic ista contra humanarum rationum insultus, perstabit aeternum duratura.

INDEX RERUM.

Prooemium. . . . . *pag.* 3
LIBER PRIMUS. . . . . » 9
Quaestio, ut eam ponunt adversarii. . . . . » ib.
Quaestio, ut est ponenda. . . . . » 10
EXPLANATIO QUAESTIONIS. . . . . . » 11
Distinguitur essentia Ecclesiae ab ejus potestate. » ib.
Potestatem sicut et essentiam unam numero esse. » ib.
Distinguuntur modi in essentia et in potestate. » 12
Explanatio naturae potestatis. . . . . » 14
Unum esse jus summum et triplex particulare. » ib.
Quaestio de subjecto potestatis. . . . . » 18
Proponitur communis sententia. . . . . . . » 19
Ultima relatio inter Papam et Episcopatum. . » ib.
Causam quaestionis esse Christi verba. . . . . » ib.
Duo ordines decretorum Christi quibus tum Petro tum Apostolis confert potestatem *Regiminis* p. 20. *Jurisdictionis* p. 21. *Magisterii.* . . . . . » 22
Expenditur decretum: «Confirma fratres tuos! » » ib.
Decretum insuper summi juris in gratiam Petri. » 26
Nullum hujusmodi in gratiam Episcopatus . . » 27
Expenduntur testimonia pro summo jure Episcopatus, et nulla probantur. . . . . » 28
Consequens esse: potestatis ecclesiasticae, tametsi non eodem gradu, tamen duo esse distincta subjecta.» 33
Quomodo subjectum intelligit vera sententia? . » ib.
Quomodo vero falsa? . . . . » 34
Neutram admittere distinctionem in subjecto. . » 35
Resumitur Quaestio. . . . . » ib.
Quid est subjectum? Quid autem duplex? . . » 36
Quid est relatio? . . . . » 37
Duo dici debere potestatis Ecclesiae subjecta relativa.» 38
Quaestio ultima. . . . . » 39

SOLUTIO QUAESTIONIS. . . . . *pag.* 41
Quid est snbstantia Ecclesiae? . . . . » ib.
Principium primum. *Ecclesiae substantiam unam esse, plures vero habere modos subsistendi.* . . . » 42
Conclusio prima. *Primario duos esse modos relativos: potestatem, et ejus terminum: plebem fidelium.* » 44
Prncipium secundum. *Potestatem unam numero esse.* » 45
Definitur potestas: principium snbstantiae Ecclesiae.» ib.
Inde consequi: unam numero esse potestatem . . » 46
Christi verba. . . . . » 47
Christi institntio. . . . . » 48
Qnid centrum essentiale societatis, quid arbitrarium?» 49
Ex eo qnod Christus personale et essentiale centrum instituit, sequi potestatem unam numero esse.» 53
Sequi etiam hoc centrum principinm potestatis esse.» 55
Conclusio secunda. *Sicut Ecclesiae principium est potestas, ita potestatis principium esse ejus centrum, id est Papam.* . . . . » 57
Animadversio *de argumento ex natura rei.* . . » 58
Qui valor testimoniorum qnae ambigua sunt? . » 60
Natura rei ad calculos vocanda est. p. 61. Exempla. » 63
Principium tertium. *Duos esse modos subsistendi potestatis ecclesiasticae, id est duo relativa subjecta: principium (Papam), terminum (Episcopatum).* » 66
Explanatnr natura duorum relativorum subjectornm.» 68
Exemplum praeclarum in Romanis Consulibus. » 69
Figura in Beatis Apostolis Petro et Paulo. . . » 70
Probatur vere esse duo distincta relativa subjecta.» 72
Distingnitur inter Episcopatum materialem et formalem. . . . . » 76
Conclusio tertia. *Papam semper esse eumdem formaliter qui et materialiter, propterea semper esse id subjectum; Episcopatum non ita, et propterea formalem tantum Episcopatum esse id subjectum.* » 77
Ab Episcopo requiri conditiones ut formaliter sit Episcopus, a Papa non requiri ullas. . . . » 78

Non requiri consensum Episcoporum. . . . *pag.* 79
Non requiri impossibilem conditionem ut in haeresin ne prolabatur. . . . . » ib.
Excluditur ratio ex jure canonico. . . . . . » 81
Excluditur factum Honorii, quod historice infectum, a priori impossibile probatur. . . . . . . » 82
Aliam esse rationem Episcoporum et Episcopatus, qua illi et iste formaliter tales censeantur. . » 85
Distinguendum inter Episcopos et Episcopatum. » 86
PRINCIPIUM QUARTUM. *Papam tenere potestatem ut subjectum personale, Episcopatum uti collectivum.* » 88
Id est Episcopos inter se in solidum, uti distinctum subjectum, et non in solidum cum Papa, potestatis jus tenere, magni refert notasse. . . . » ib.
Hanc esse rationem logicam, historicam ac divinam cur Episcopatus possit esse, et sit, id quod est.
CONCLUSIO QUARTA. *Papam, quia personaliter tenet, tenere. potestatem* UNUM; *Episcopatum vero, quia collective. tenere eam inter se* IN SOLIDUM. . » 93
ANIMADVERSIO *de causa majoris numeri suffragiorum.*» ib.
Omnem hanc quaestionem spectare ad sententiam internoscendam unius tantum subjecti potestatis, proindeque non tam magni referre. . . . » 94
Unanimem consensum requirere, idem fore ac inducere in Ecclesiam: *Liberum Veto*. . . . . » 95
Atque de facto tunc fere impossibilem esse Episcopatus auctoritatem. . . . . » 97
SCHOLION. *Quaestionem de majori numero suffragiorum vel de unanimi consensu non impedire, quominus maneat Papae plena et integra potestas.* . . . » 98
Resumitur quaestio de ultima relatione inter Papam et Episcopatum, supposito discidio. . . . » ib.
Declaratur quid sit dependentia? . . . . . . » 99
PRINCIPIUM QUINTUM. *Papam independenter tenere potestatem; Episcopatum, qua etiam Episcopatus, et potestatis subjectum, dependenter.* . . . . . » 100

Deinde distinguitur dependentia Episcoporum singulorum, et dependentia totius Episcopatus. *pag.* 101

Conclusio quinta. *Episcopatum Collegam esse Papae, et dependere ab eo: ut secundum a primo, terminum a principio, corpus a suo centro vitali; Episcopos dependere autem primum ab Episcopatu ipso; deinde dupliciter a Papa: et directe, eadem ratione sed a fortiori qua ab Episcopatu dependent; et indirecte, una cum Episcopatu; sed quadam majori adhuc subjectione.* . . . . » 103

Explicatur objectum potestatis ecclesiasticae. . » 105

Objectum hoc esse Verum, Bonum et Justum divinum; idque unum in se esse . . . . . » ib.

Principium sextum. *Objectum potestatis hujusmodi esse ut impediat quominus inter duo potestatis subjecta unquam possit dari dissidium verum.* . . . » 107

Etsi major numero pars Episcoporum dissentiret, neque tunc esset dissidium inter Papam et Episcopatum formaliter sumptum. . . . . . . » 109

Conclusio sexta. *Admittere dissidium possibile esse, est negare objectum potestatis, id est Deum ipsum, est destruere hanc potestatem, et ipsam etiam Ecclesiam.* . . . . » 111

Nota inuruntur Theologi hoc dissidium supponentes » ib.

Nota inuritur Concilium Constantiense. . . . » 112

Scholion. *Ultimam relationem hanc esse, ut inter Papam et Episcopatum sicut est unitas potestatis, sic semper sit uniformitas in exercitio ejus.* . . » 114

Quis tandem est Episcopatus formaliter sumptus? » ib.

Principium septimum. *Illum esse Episcopatum formalem qui potestatem eodem modo administrat quo et Papa, non solum post, sed etiam ante sollennem definitionem.* . . . . » ib.

Exhibetur idea perfectae uniformitatis ex aeterna ratione divina. . . . . » 116

Monstratur eam, quod ejus fieri poterat, re comple-

tam, si Episcopatum formalem spectabimus tantum. . . . . *pag.* 116
Distinguuntur causae non definitae et definitae a Papa, iterumque Episcopi et Episcopatus. . » 117
In causis non definitis quomodo Papa tractat Episcopatum? . . . . » 118
In causis definitis quomodo Episcopatus debet tractare Papam? . . . . » 119
Deinde quae est regula juris quae tenet Episcopos? » 120
Quae juris regula tenet Episcopatum? . . . . » 111
Consequens esse etiam ante definitionem consentire. » ib.
Causa exponitur: cur Papa deficere non possit: nam Ecclesia rueret. . . . . » 122
Cur Episcopi possint deficere: non rueret enim. » ib.
Exemplum schismatis Graecorum. . . . . . » 123
Hanc eamdem esse rationem institutionis Christi. » ib.
Conclusio septima. *Fieri posse ut aliquando Episcopatus formaliter spectatus sit minor numero pars totius materialiter sumpti Episcopatus; et magis magisque demonstrari: regulam hanc solam veram quae uniformitatem cum Papa dat pro unica nota.* » 124
Demonstratur ex his omnibus auctoritatem Episcopatus non minui, sed mirum quantum augeri. » 125
Plus assequi quam in theoria Gallicana. . . . » 126
Scholion. *Episcopatum esse totius potestatis plenum subjectum, etiam distincte a Papa; esse necessarium; tenere potestatem non delegatam, sed propriam et divinitus sibi datum; et licet exercitium ejus mediate a Deo, et immediate habeat a Papa, esse tamen loco suo non Vicarium Papae, sed Collegam.* » 128
Animadversio *de Vicariis Apostolicis.* . . . . . » ib.
Habent etiam propriam ordinariam potestatem qua sunt Episcopi sedium in partibus. . . . . » 129
Principium octavum. *Papam, exercentem potestatem Magisterii, docentem Verum, Bonum, et Justum divinum (seu res fidei et morum), etiam distincte*

ab Episcopatu, unum, personaliter, et independenter, infallibilem esse. . . . . *pag.* 130
Explicatur et probatur propositio. . . . . . . „ ib.
ANIMADVERSIO *de sententia ex Cathedra.* . . . . „ 134
Conditio essentialis et conditiones modales. . . „ ib.
Regula: ut sit actus summi magisterii, et ut innotescat tamquam talis, ex his ferme veluti notis: si praeparatur ut talis, si publicatur ut talis, si sancitur ut talis. . . . . „ 135
Episcopatum etiam infallibilem esse. . . . . . „ 136
Conditionem primam: ut sit Episcopatus formalis. „ ib.
Alteram: ut jus exercitii a Papa convocatione tribuatur. . . . . „ 137
Ultimam: confirmationem Papae esse. . . . . . „ ib.
Confirmationis duplex character. Primus, ut sit nota qua certum fit Episcopatum ex sua Cathedra loquutum esse. . . . . „ ib.
Alter ejus character, ut sit actus proprius et sententia propria Papae. . . . . „ 138
CONCLUSIO OCTAVA. *Conditionibus modo expositis, Episcopatum, qui formaliter talis est, in iis omnibus in quibus et Papa, et distincte a Papa, et proprio jure, infallibilem esse.* . . . . „ 139
Epilogus. . . . . „ 140

IMPRIMATUR
Fr. Marianus Spada O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Iosephus Angelini Archiep. Corinth. Vicesgerens.

EJUSDEM AUCTORIS

(ROMAE APUD J. SPITHÖVER)

Towianski et sa doctrine, jugés par l'enseignement de l'Église. Paris, 1850. in 8°	4	00
Przeciwko Cerkwi Rossyjskiej. Prawda, id. 1843	1	35
Nauka o Magnetyzmie. ib. 1851	1	60
Obraz Słowa Polskiego. Poznan, 1852	2	70
Ksiądz Jan Pociej i jego dzieło. ib. 1853	1	60
O Magii i o stolikach ib. 1857	1	10
Do Rożnowierców, kazanie z powodu Towiańskiego, w Paryżu 1857. Poznan, 1858		
Przeciw błędom Towianskiego, ib. 1868. (razem)	2	70
Studio critico sull' Averroë di Ernesto Renan e sul valore dell' Averroismo. 1861	»	80
San Pietro, Autore della civiltà, discorso accademico. Roma, 1868	»	80
Quid Papa et quid est Episcopatus, nec non quæ eorum partes in Ecclesiæ infallibili magisterio. Romæ, 1870. Liber primus	2	00